DE POLYBII FONTIBUS

ET

AUCTORITATE

DISPUTATIO CRITICA

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DR.

EDIDIT

SOCIETAS ARTIUM DISCIPLINARUMQUE RHENO-TRAIECTINA

TRAIECTI AD RHENUM

J. W. LEEFLANG

1879

DE POLYBII FONTIBUS ET AUCTORITATE

Typis J. VAN BOEKHOVEN, Utrecht.

DE POLYBII FONTIBUS

ET

AUCTORITATE

DISPUTATIO CRITICA

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DR.

EDIDIT

SOCIETAS ARTIUM DISCIPLINARUMQUE RHENO-TRAIECTINA

TRAIECTI AD RHENUM

J. W. LEEFLANG.

1879.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM:

„DISPUTATIO CRITICA DE FONTIBUS ET AUCTORITATE POLYBII,"

MUNITA LEMMATE:

„*Hae latebrae dulces et, iam si credis, amoenae,*"

CUI IN

CONVENTU SOCIETATIS RHENO-TRAIECTINAE
ARTIUM ET DISCIPLINARUM
HABITO D. XXV M. JUNII MDCCCLXXVIII

AUREUM PRAEMIUM DECRETUM EST.

PRAEFATIO.

Quod equidem libenter omiserim, duae nunc res vetant ne hoc munere praefandi supersedeam, altera mihi pergrata, necessaria altera. Primum enim cum opus meum typis expressum et iamiam in lucem proditurum cum voluptate videam, eam me debere voluptatem sentio cum Societatis Rheno-Traiectinae beneficio, tum praesertim operae virorum doctorum qui librum manu scriptum quominus perlegerunt deque eo iudicium ferrent non recusaverunt; in ea re est quod eis gratias agam, quod sane ex animo facio. — Deinde necessarium esse videtur ut quaedam moneam de rerum componendarum ordine ac ratione. Quodsi de ipso Polybio scribere propositum mihi fuisset, sane aliquot rebus, quae nunc capitibus tertio et quarto leguntur, primum locum adsignari aequum fuisset, atque initium fieri a quaestionibus ad ipsius vitam pertinentibus, de anno natali, de iuventute, de amicitiis et voluntatibus et indole, aliis eiusmodi. Verum quoniam non de auctore Historiarum, sed de ipsis Historiarum libris disserere institueram, etiam non vitae auctoris casus, sed ipsam librorum materiem seriem mihi capitum praebere passus sum et ordinem scribendi. Itaque primum locum obtinuerunt ei loci e libris Polybii collecti qui nullam quidem, quia ad rerum narrationem non pertinent, ad fontes narrationis cognoscendos praebent utilitatem, sed tamen cum in eis significetur quid de natura mundi et deorum, de vero ac falso, de fabulis poeticis aestimandis, de antiqua denique Graeciae

historia senserit auctor noster, maxime declarant quae sint totius operis propria, qua mente totum conscriptum sit; quas res autem cum non per se exponere, sed earum etiam fontes ostendere vellem, uno capite amplexus sum cui inscriptum est studia poetarum, historiae, philosophiae. Secundo deinde capite singularibus librorum partibus dato, quae aliquanto prolixius tractandae videbantur, tertio capite ad ipsos narrationis fontes aggressus, inter eos cum reliquos fontes scriptos recensui, tum ipsius auctoris vitam, amicitias, itinera, quae enim nullam aliam ob causam omittere non potuerim, quam quod insignis ea etiam Polybio rerum gestarum cognitionis fuerint fons. His denique absolutis tum demum exponere licebat qua fide ac ratione de rebus narratis iudicaverit Polybius; iudicium vero quod ferimus cum non magis pendeat a rebus iudicandis quam ab ipsorum natura nostra atque indole, de ingenio Polybii et voluntatibus hoc quarto demum capite scribendi copia erat. — Quam rationem etsi parum fortasse lectoribus concinnam visum iri intellego, tamen et consulto initam esse confiteor, neque facile mutare potui, nisi omnia retractare atque instaurare vellem.

In libris recentiorum comparandis et laudandis aliquam posui diligentiam; tamen non paucos me fugisse aegre fero; ex iis quos consulere non potui cum post opus demum absolutum ad me pervenerint, etiam h. l. laudo de foedere Carthaginiensi M. Zoeller, Latium und Rom; de fontibus Livii C. Peter, zur Kritik der Quellen der älteren Röm. Gesch. — Similis fuit causa cur per totum librum locos Polybianos laudaverim secundum editionem Dindorfianam, saepe tamen adhibita editione Hultzsch.

CAPUT I.

STUDIA POETARUM, HISTORIAE, PHILOSOPHIAE.

In magno scriptorum numero, quorum libros perlegisse Polybium novimus, eos iam hoc loco a ceteris segregandos esse censeo quorum opera iuveni cuique, tali quali Polybius loco nato, in manibus fuisse quosque Polybium adolescentem adiisse probabile est. Horum scriptorum studium, cum ad educationem liberalem pertineret, neque historiae conscribendae consilio susceptum esset, tamen multa per libros sparsa vestigia reliquit. Itaque e poetis Homerus et Euripides, e philosophis Plato alii, e rerum graecarum scriptoribus Xenophon, Ephorus, Timaeus alii ab eo memorantur. Ac primum quidem *Homeri* carminum cognitione imbutus fuit. Saepe enim singulos vel binos versus laudatos narrationi inseruit, vel singulas formulas ex Homeri carminibus depromptas; et quidem ex Odyssea bis [1]), quinquies ex Iliade [2]). Verum non hunc unicum usum Polybio praebet Homerus, ut singulis versibus insertis sententiam aliquam, imaginem, descriptionem,

---

[1]) P. III. 94 § 4. — Od. X. 232; P. IV. 45 § 6. — Cfr. Od. XI. 590 sqq.

[2]) Pol. V. 38 § 10. — Il. XXII. 304 sq.; P. XV. 12 § 9. — Il. IV. 438; P. XV. 16 § 3. — Il. IV. 300; P. XVIII. 12. § 6. — Il. XIII. 131 vel XVI. 215; quem locum etiam tangit P. XII. c. 21 § 3.

illustret, qualem etiam interdum ei praestant versus *Hesiodi* [1]), *Pindari* [2]), *Euripidis* [3]) memoriter laudati, neque semper addito poetae nomine [4]), sed etiam aliquot locis de Homero uberius disputans P., copiam nobis fecit cognoscendae rationis qua in antiquis carminibus iudicandis utatur. Nam ut omnia ad sanae mentis et sensus communis normam dirigere solet, sic nihil fere ei probatur nisi quod aut verum sit, aut utilitatem afferat, et eatenus dumtaxat laude digna esse censet carmina, quatenus res revera gestae in iis tradantur vel aliquam utilitatem ex iis capere possit lector. Cum autem ipse fere omnes res egregie et naturae convenienter perspexisse sibi videatur, intellegere nequit qui factum esse possit, ut fabulae quaedam se iudice ineptae, antiquis verae et fide dignae viderentur; itaque statuit Homerum quaedam mentitum esse, sed, ne omni fide careret, alia vera admiscuisse [5]). Nobis quidem absurdum videtur, discernere ea quae Homerus mentitus sit vel de suo finxerit, ab iis quae e veritate tradiderit. Sed consentaneum est aequales Polybii hoc fecisse, cum ea aetas, nondum diu a poetarum superstitione liberata, primum fere incumberet in exquirendum quid verum et probabile esset, quid minus. Intellegere nondum poterant, in priscis temporibus quae

---

[1]) P. V. 2 § 6. — Hesiod. fr. 93 Goettl. 223 Marksch.; Pol. VI. c. 2 § 18.

[2]) P. IV. 31 § 5. — Pind. fr. 228 Boekh. — 86 Bergk.

[3]) P. I. 35 § 4. — Antiop. fr. 220 (Dind.); P. V. 106 § 4 — fr. inc. 986.

[4]) Sic VIII. 5 § 3 referenda videtur ad sententiam Euripidis; V. 32 § 1 sq. ad Hesiodi (οἱ ἀρχαῖοι τὴν ἀρχὴν ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι φάσκοντες); cfr. Ind. Schweighauseri, qui aliquot locos supra laudatos omisit.

[5]) P. XXXIV. c. 2 § 1.

fere tirocinium ingenii humani dicere liceat, omnes res ab hominibus poetica quadam ratione conceptas, et a scriptoribus qui tum omnes poetae essent multis semper fabulis et miraculis obvolutas memoriae traditas esse. Itaque carmina antiqua non eo consilio volvere solebant ut illius temporis opiniones et errores cognoscerent et (ut nobis facere licet) ex iis conicerent quales eae res revera fuerint, ab antiquis poetica ratione descriptae; sed hoc tantum quaerebant numquid vere ab iis traditum esset; quae falsa iis videbantur tanquam ficta et inutilia respuebant. Atqui Homerum scriptorem gravissimum, cum multa ingenue et bona fide narravisse viderent, iam multa alia finxisse et mentitum esse credere nolebant, et quasi allegoria eum usum esse in fabulis statuebant qua res veras absconditas traderet. Non carmen vel quasi opus iuvenile ingenii humani iis esse videbantur libri Homeri, sed opus quoddam grave et laboriosum philosophi (φιλοσόφημα) [1]. Denique iis erroribus facile ignoscebant quos Homeri aetatis ignorantiae imputandos esse censebant.

Hanc rationem Polybius eo magis tenuit quo magis a poetarum elegantia alienus omni arti veritatem praeferret. Primum enim maximam circumspectionem cuique commendat in poetis et fabularum scriptoribus fide habenda [2], *Heracliti*, poetarum contemptoris, verba laudans [3]. Deinde quamquam aliquid etiam Homeri ignorantiae ignoscendum esse censet [4], tanti facit hunc

---

[1]) P. XXXIV. c. 4 § 4.

[2]) P. IV. c. 40 § 2.

[3]) Ibid. — Heracliti etiam aliud dictum laudat P. XII. 27 § 1. — Heraclitus Homerum dignum fuisse dixit qui e certaminibus eiceretur et virgis caederetur (Diog. Laert. IX. 1, cfr. Ritt. u. Prell. Hist. Phil. p. 16).

[4]) Ex gr. XXXIV. c. 4 § 5.

poetam ut quam plurima ab eo vere tradita esse, etsi allegoria tecta, quam minima ficta esse ostendere studeat [1]). Non solum autem doctrina recondita referti sunt libri Homeri, etiam sapientiae pleni. Homerus cum voluerit nobis ostendere qualis debeat esse vir sapiens (ἀνὴρ πραγματικός), Odyssei imagine talem virum proposuit, ut apparet laudatis primis Odysseae versibus [2]). Sed etiam qui artem imperatoriam pernoscere velit Odysseam evolvat. Odysseus enim est optimus dux (ἀνὴρ ἡγεμονικώτατος); eum Homerus induxit ex astris multa coniectantem quae et mari et terrae accidunt, ut decet bonum ducem [3]).

Hoc Polybii studium quo fabulis ab Homero traditis verum aliquid indicari et ex iis posse enucleari contendit, etiam ad ea se extendit quae de rebus divinis antiquitus apud Graecos ferebantur. Incidit in eam rationem („explicationem mythorum rationalisticam"), tum Euhemeri nomine insignitam, quae fabulas ita explicare soleret quasi olim homines aliqua virtute vel opera insignes ad augustum nomen deorum et heroum evecti essent. Divinum cultum, ait, ei obtinuerunt, qui aliquid generi humano utile instituissent [4]), Danaus vates aestimatus est et rex, qui in Argoli fontes indicasset [5]); Atreus auspex et rex dictus, quia ostendisset

---

[1]) XXXIV. c. 2 § 1; ibid. c. 4. § 4. Utriusque carminis argumenta sunt vera, (P. XXXIV. c. 2 § 9). Scylla piscante (Od. XII. 95 sqq.) significatur piscatus xiphiarum in litore Bruttiae (l. l. c. 2 § 12 — c. 3 § 11); Lotophagorum (Od. IX. 84 sqq.) est insula Meninx (P. I. 39 § 2). De rege Aeolo P. XXXIV. c. 2 § 5, c. 11 § 12—20.

[2]) P. XII. 27 § 10.

[3]) P. IX. 16. 1 (cfr. ex. gr. Od. XIII. 93).

[4]) P XXXIV. c. 2 § 8.

[5]) Id. de Danao iam antiqui tradunt, Hesiod. fr. 35 G. (97 M.)

cursum solis adversum astrorum cursui [1]. Polybius rem illustrat exemplo sacerdotum Aegyptiorum et Chaldaeorum et magorum, qui cum sapientia excellerent, omnes honores et aestimationem nacti essent [2]. Talis ratio crimine levitatis absolvi non potest, affirmat enim res plane incertas, saepe incredibiles, omni exemplo carentes, quasi plane certae essent.

Modo statuimus Polybium alienum fuisse a poetarum elegantia. Non solum hoc apparet e frigida illa ratione qua carmina Homeri interpretatur, quae tam parum tribuat ingenio et sensui poetico; sed etiam e contemtu quodam quo poeticam, inprimis tragediam, historiae opponit. Munus enim historici a poetae probe distinxisse non contentus, vix huic ullam dignitatem etiam relinquit; eo minoris pretii ei esse videtur, quo magis veritate neglecta specie quadam spectatores decipere studet; omnem utilitatem huic detrahit, historiae vindicat [3]. Tragediarum scriptores, quia semper mentiuntur, deos et heroes inducant necesse est ad exitum optatum efficiendum; rerum gestarum scriptori ab his nugis cavendum est [4]. Multa vere iudicat Polybius, sed iis acerbis vocibus uti solet, quibus appareat eum poeticam parvi facere. Non iniuria fortasse Timaeum reprehendit, quod is, ubi Hermocratem ad Senatum Gelae verba facientem de pace inducit, ei orationem tribuit plenam poeticae laudationis pacis. Ipsas vero illas sententias poeticas deridiculas esse censet P., ut cum aliis hanc: „πρῶτον μὲν οἴεται δεῖν (Hermocr. ap. Timaeum) ἀναμνησθῆναι τοὺς συνέδρους διότι κοιμωμένους τὸν

---

[1]) Idem iam Euripides fr. 853.
[2]) P. XXXIV. c. 2 § 6 sq.
[3]) P. II. c. 57 § 10.
[4]) P. III. c. 48 § 8.

ὄρθρον ἐν μὲν τῷ πολέμῳ διεγείρουσιν αἱ σάλπιγγες, κατὰ δὲ τὴν εἰρήνην οἱ ὄρνιθες [1]). Locus est poetis satis communis, cfr. Hor. Ep. II. 5 et Tib. I. 3. vs. 59 sq. — Sed Polybii ingenio severiori hi versus [2]) et sententiae pueriles videntur. Quamquam ratio ieiuna qua quod revera gestum non sit despicit P., eatenus ei profuit, quod constanter negat fabulis poetarum fidem se habere, vel ut ipsi dicit ὕλην τραγικὴν in historiam intrudere [3]).

Expositis poetarum studiis accedimus ad studia philosophorum et historicorum. Ac primum quidem *Platonis* de republica memoriter aliquot locos laudavit [4]). Ut hi loci ostendunt eum non parum opera iuvenem in studio Platonis collocasse, sic recte alio loco explicat cur scriptori rerum gestarum de variis rerum publicarum formis agenti illa Platonis respublica plane sit omittenda. Nam, ait [5]), ut a praemiis athletarum eos excludimus qui peritiam suam in solem atque pulverem nondum produxerint, sic illam rempublicam cum aliis quarum accepimus memoriam componere aequum non est, neque magis cum aliis comparari potest quam statua pulcra quidem sed inanima cum animantibus. Hoc loco optime iudicat P. de munere historici a philosophi segregando; tamen studium Platonis gravium errorum ei causa fuit, de quibus alio loco nobis agendum est.

Plato denique inter eos est celeberrimos auctores (οἱ λογιώτατοι τῶν ἀρχαίων συγγραφέων) quos minus recte de republica Cretensi iudicavisse censet Polybius [6]).

---

[1]) P. XII. c. 26.

[2]) Laudat Eurip. fr. 462, et Homeri versus.

[3]) Cfr. II. c. 16 § 14; II. c. 17 § 6.

[4]) P. VIII. 13 § 7. — Plato R. P. VIII. p. 565 D.; P. XII. 28 § 2. — Pl. R. P. p. 473 D.

[5]) P. VI. c. 47 § 7.

[6]) P. VI. c. 45. — c. 47 § 6.

Ephorus enim, inquit, Xenophon, Callisthenes, Plato, rem publicam Cretensem Lacedaemoniae simillimam fuisse tradunt; iidem utramque magnis et eisdem laudibus efferunt; contra exponit Polybius Cretensem et aliam esse et multo deteriorem. Illi enim scriptores proprium reipublicae Spartanae fuisse tradunt (*ἴδιον εἶναί φασι*) primum quod ager publicus singulis civibus aeque esset distributus (c. 45 § 3), deinde quod lucro et quaestu abolito invidiae et avaritiae cives expertes essent (§ 4), tertium quod regibus potentia perpetua esset, senatoribus quamdiu viverent (§ 5); apud Cretenses his omnibus contraria instituta sunt; magistratus annui, maxima avaritia et turpissimus quaestus, denique agrorum possidendi summa libido. Itaque miratur quomodo has respublicas cognatas et consimiles dicere potuerint (c. 46 § 1—5). Praeterea illi scriptores aiunt Lycurgum solum vidisse quibus vinculis respublica contineri posset, fortitudine civium et concordia; his virtutibus autem Lacedaemonios inter omnes praestare. Sed cum videant Cretenses semper bellis intestinis lacerari, tamen perhibere audent respublicas consimiles esse (§ 6—9).

Hoc Polybii iudicium falsum esse, ostendere non opus est. Sed difficile est dictu, cuius scriptoris opinionem his verbis refutet. Plato saepe remp. Cretensem cum Lacedaemonia composuit [1]), sed, quanquam Lycurgi leges et Minois saepe laudibus effert [2]), nusquam apud Platonem legimus Lycurgum illis institutis optime de urbe sua meritum esse. Contra de avaritia Lac. Plato non minus quam Aristoteles plane contraria Polybio conqueri solet [3]). Hoc crimen minime convenit cum

[1]) Ex gr. Pl. R. P. VIII. p. 544 C.; Legg. p. 683 A. (ὡς ἀδελφοῖς νόμοις); Legg. p. 712 et passim.

[2]) Ex gr. Legg. III. 696; I. 630 sqq.

[3]) Ex gr. Pl. R. P. p. 548 A. ἐπιθυμηταὶ χρημάτων, (B.) φειδωλοὶ

illis abstinentiae laudibus Polybii, quas paullo post [1]) etiam auget, dicens Lycurgum concordiae civium et saluti urbis egregrie consuluisse, cum per victus simplicitatem (*ἀφέλειαν διαίτης*) cives suos probos (*σώφρονας*) fecisset, fortes et strenuos exercitatione corporum (*ἀσκήσει*). In altera tantum Lacedaemoniorum accusatione Plato et Polybius concinunt, scilicet in crimine nimiae imperandi cupiditatis, quam Plato iis exprobrare solet [2]), quamque Pol. a Lycurgo neglectam neque ut factum esse debuerat legibus obstrictam esse ait [3]). Apparet Polybium h. l. non Platonem refutandum sumpsisse.

In libello (*Xenophontis*) de republica Lacedaemonia eadem fere Laced. et Lycurgi praeconia legimus quae apud Pol. de lucri studio civibus ademto [4]), sed praeterea nihil convenit. Xenophontis libros perlegisse Polybium apparet e verbis memoriter laudatis, cum dicit P. Carthagenam a Scipione occupatam recte *κατὰ τὸν Ξενοφῶντα* dici potuisse officinam belli [5]). Quem Xenophontis librum nostro loco (VI. 45) indicet Polybius dubium est. Schneider in prolegg. ad (Xen.) de republica Lac. libellum hunc Polybii locum laudavit tanquam testimonium pro integritate libelli. Sed in toto libello nusquam mentio incurrit Cretensium. Deinde silentium agit (Xen.) de agro Lacedaemoniorum viritim distributo. Superest ut credamus Polybium h. l. aut

---

χρημάτων — φιλαναλῶται δὲ ἀλλοτρίων δι' ἐπιθυμίαν. Cfr. Arist. Pol. II. c. 6. Ed. Tauchnit. τὴν πόλιν πεποίηκεν ἀχρήματον, τοὺς δ' ἰδιώτας φιλοχρημάτους.

1) VI. 48 § 1—5.

2) φιλονεικίαν ex gr. Pl. R. P. VIII. p. 548 B.

3) VI. c. 48 § 7 sq.

4) (Xen.) de R. Lac. c. 7 § 2 sqq.

5) P. X. c. 20 § 7; idem Xen. Hell. III. 4. 17 de Epheso ab Agesilao occupata.

ad librum Xenophontis respicere nobis ignotum, aut, quod potius credo, Xenophontem de utraque republica uberius egisse in libro quodam cuius nobis nunc mancae tantum relliquiae extent. Illum libellum originem traxisse ex ampliore Xenophontis libro etiam probabilius fit quod Plutarchus (Lyc. c. 1) sententiam Xenophontis servavit, quam in illo libello legimus.

Callisthenes Olynthius quid quove libro [1]) de rebus publicis Cretensi et Lacedemonia tradiderit ignotum est. — Ex eodem, ut videtur, eius libro Polybius hausit epigramma [2]) a Messeniis tempore belli secundi Messenii inscriptum columnae ad aram Iovis Lycaei in honorem Arcadum. Deinde P. eum acriter reprehendit ob res ineptas in libro *περσικά* inscripto de Alexandro magno, de proelio ad Issum traditas [3]). Contra Timaeum eius dignitatem defendit. Timaeus enim contendit Callisthenem Alexandri adulatorem meritas luisse poenas cum turpi assentatione et philosopho indigna Alexandri animum corrupisset [4]). Itaque Polybii auctoritas accedit ad ea quae ab aliis de Callisthenis libero ingenio traduntur, ut Curtio [5]).

Apparet Polybium aliquot auctoribus (certe Platoni) ea obiecisse quae non scripserint, nam cum omnes quidem remp. Cretensem similem et cognatam fuisse Lacedaemoniae statuissent, non omnes illa instituta reip. Lac. propria esse scripserunt. Polybius h. l. minus

---

[1]) Eius libri ad historiam pertinentes: Ἑλληνικῶν 10 libri (387—357); περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου; Μακεδονικά; Θρακικά; Περσικά; ei adscribitur περίπλους cfr. Westermann de Callisth. Ol. comm. 4. Lips. 1842.

[2]) IV. 33 § 2 sq.

[3]) XII. c. 17—23.

[4]) XII. c. 12c.

[5]) Curt. VIII. c. 19—21.

accurate egit, fortasse ideo quod memoriter laudavit. — Sed etiamsi Ephorus ea instituta reip. Lac. propria esse statuit, et fortasse Xenophon, tamen Polybius in refutatione fallitur, nam optimo iure hae civitates aequabantur. Utraque Dorica est, imperium penes primores, magistratuum potestas, educatio liberorum simillima [1]). Nam cum ab antiquis vulgo discernatur inter *πολιτείαν* et *νόμους*, illa aequari iure potest, etiamsi inter hos aliquid interest. Itaque paullo arrogantius dictum esse videtur illud *θαρροῦσι δὲ λέγειν ὡς ὁμοίων ὄντων τῶν πολιτευμάτων.*

Quae de republica Lacedaemonia scripsit *Ephorus*, etiam vetustate oppressa sunt. De republica Cretensi singulari libro egisse videtur [2]). Adversus Ephorum inprimis hanc argumentationem de qua egimus direxit; quamquam in Ephori fragmentis quae extant non leguntur quae Polybius ei tribuit, agrum viritim divisum esse, pecuniae usu Spartanis interdictum, magistratibus imperium servatum quoad viverent. Ephorum ait Polybius [3]) iisdem etiam nominibus uti solere de republica Cretensi agentem quibus instituta Lacedaemoniorum significet, quo fiat ut lectori interdum dubitandum sit de utra agat [4]). Omnino Ephorum Polybio auctorem

---

[1]) Copiose de ea similitudine agit Ephorus fr. 64 Müller, Strabo p. 375.

[2]) Ephorus fr. 63 Müller (Strabo X. p. 370) ὑπὲρ δὲ τῆς Κρήτης ὁμολογεῖται διότι κατὰ τοὺς παλαιοὺς χρόνους ἐτύγχανεν εὐνομουμένη καὶ ζηλωτὰς ἑαυτῆς τοὺς ἀρίστους τῶν Ἑλλήνων ἀπέφηνεν, ἐν δὲ τοῖς πρώτοις Λακεδαιμονίους, καθάπερ Πλάτων τε ἐν τοῖς Νόμοις δηλοῖ καὶ Ἔφορος ἐν τῇ Εὐρώπης πολιτείᾳ (Marx: ἐν τῇ Εὐρώπῃ, τὴν πολιτείαν) ἀναγέγραφεν. Etiam in libro tertio τῶν καθόλου egit de Creta (de servis κλαρώταις). Ephor. fr. 32 a.

[3]) VI. c. 46 § 10.

[4]) Nescio an etiam h. l. Polybius nimium affirmaverit; Ephor.

fuisse credo cognitionis legum Lycurgi. Ad eum referenda esse videntur quae P. tradit VI c. 3 § 8 et c. 10 § 6, Lycurgum rempublicam ita temperavisse ut singulis partibus sua potentia esset. De ephoris non agit Polybius neque ait Lycurgum hunc magistratum instituisse; agit de tempore ante id quo ephori primum creabantur. Eodem modo Plutarchus [1]) tradit Lycurgum remp. mixtam instituisse (*οὕτω τὸ πολίτευμα τοῦ Λυκούργου μίξαντος*), deinde recentiores reges (*τοὺς μετ' αὐτόν*) ephoros addidisse. Plutarchus unicus huius sententiae auctor est; apud Platonem [2]) et Aristotelem [3]) ea reipublicae moderatio cum ephororum institutione demum incipit. Plutarcho idem qui vulgo in rebus Lacedaemoniorum Aristoteli, auctor fuisse videtur Ephorus (nisi quod fortasse Plutarchus res Ephori ex alio auctore exprompsit [4]). Atqui si Plut. Lyc. c. 7 Ephoro usus est auctore, etiam Polybio auctor fuisse videtur Ephorus. — Polybius autem hac in parte male functus est munere historici, nam de republica Lac. agens, cum se contineret in legibus Lycurgi exponendis, et instituta recentiora regum Theopompi et Polydori omitteret, reip. Lac. imaginem informavit a vero alienam; et quae tradit de illa moderatione partium reipublicae, ostendunt eum minime intellexisse rationem illius reipublicae moderationis qualis post ephoros institutos fuit

---

enim: τοὺς ἐφόρους ait δὲ τὰ αὐτὰ τοῖς ἐν Κρήτῃ Κοσμίοις διοικοῦντας, ἑτέρως ὠνομάσθαι. τὴν δὲ συσσιτίαν Ἀνδρεῖαν παρὰ μὲν τοῖς Κρησὶν ἔτι καὶ νῦν καλεῖσθαι, παρὰ. δὲ τοῖς Σπαρτιάταις μὴ διαμεῖναι καλουμένην ὁμοίως, ὡς πρότερον.

[1]) Lycurg. c. 7.

[2]) Plat. de Legg. III. p. 691 E. (τριτὸς σωτήρ).

[3]) Arist. Pol. II. c. 3.

[4]) Ut contendit Flügel die Quellen in Plutarchs Lycurgus Marb. 1870 (cfr. Susemihl proll. ad. Polit. p. LXII).

et permansit. Ait enim (VI. 10 § 8): *τῆς μὲν βασιλείας κωλυομένης ὑπερηφανεῖν διὰ τὸν ἀπὸ τοῦ δήμου φόβον, δεδομένης καὶ τούτῳ μερίδος ἱκανῆς ἐν τῇ πολιτείᾳ, τοῦ δὲ δήμου πάλιν μὴ θαρροῦντος καταφρονεῖν τῶν βασιλέων διὰ τὸν ἀπὸ τῶν γερόντων φόβον, οἳ κατ' ἐκλογὴν ἀριστίνδην κεκριμένοι πάντες ἔμελλον ἀεὶ τῷ δικαίῳ προςνέμειν ἑαυτούς, ὥστε τὴν τῶν ἐλαττουμένων μερίδα διὰ τὸ τοῖς ἔθεσιν ἐμμένειν, ταύτην ἀεὶ γίγνεσθαι μείζω καὶ βαρυτέραν τῇ τῶν γερόντων προςκλίσει καὶ ῥοπῇ.* Priscis temporibus fortasse senatus hoc munere functus est ut quasi arbiter esset inter contumaciam populi et imperium regium [1]); sed mox senatus potentiae regiae et libertati populi instare coepit, et in oligarchiam res vertisset, nisi ephororum potentia, magistratus popularis, quasi frenum iniectum esset Senatorum libidini [2]). Fuerunt ephori quasi regii imperii patroni, superbiae senatorum vindices. Hoc etiam Polybium vidisse apparet alio loco [3]), ubi ait: *ἐπὶ τοὺς ἐν τῇ Λακεδαίμονι βασιλεῖς πολλάκις ὑμᾶς ἐπέστησα, λέγων ὅτι τοσοῦτον χρόνον διετήρησαν τῇ πατρίδι τὴν τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίαν ὅσον πειθαρχοῦντες ὥσπερ γονεῦσι τοῖς ἐφόροις ἠνείχοντο συμβασιλεύοντες ἀλλήλοις.* Causa cur illo loco perperam exponat eadem est qua totus liber sextus claudicat: cum enim e rebus gestis sententiam aliquam vel iudicium efficere vel demonstrare velit, ipsas eas res plene et vere inquirere et exponere neglegit; in firmanda tali opinione omnem operam collocans temere interdum a

---

1) Hoc munere priscis temporibus functum esse senatum ait Plutarchus (Lyc. c. 6), quem aeque ac Polybium ex Ephoro hausisse eo magis credibile est.

2) Plato de legg. III. p. 691 E.; *τριτὸς σωτὴρ ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν, οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν.* Cfr. Arist. Pol. II. c. 3.

3) P. XXIV. c. 8b § 1.

veritate mentem abducit. Minus autem eo peccat quod falsa tradat quam eo quod res veras alias omittat alias nimis urgeat. Cui vitio obnoxia est illa ratio quam historiae philosophiam dicere solent.

De Ephori libris Polybius egit libro XII [1]). Ea pars quamquam deperdita est, tamen iudicium de Ephoro latum satis agnosci potest. In multis rebus Ephori opus exemplum fuit Polybio, et multarum rerum quae Polybio propria sunt quaeque hic summi momenti esse putat in rebus scribendis, initia in Ephori libris invenimus. Non solum Ephorus veritate historiam contineri censebat, et si fieri posset omnes res traditas ab ipso scriptore adspici et a praesente observari debuisse dicebat [2]), quae eadem sententia toties apud P. recurrit — hoc munus veri indagandi omnino historiae proprium est, quamquam a paucis antea recte intellectum erat, et ars critica eo tempore ab auctoribus turpiter neglegebatur —; sed etiam historiae materies et finis, denique munus scriptoris de quo tam ubere saepe egit Polybius, iam Ephorus paene eadem ratione sed brevius exposuit. Res universas se scribere Polybius saepius profitetur, neque parum se ceteris scriptoribus eo consilio praestare censet, quod ita unice vera historiae utilitas lectori afferri possit: Ephorum autem primum et solum hoc consilium suscepisse et susceptum bene ad finem perduxisse ait [3]). Sed praesertim hac in re Ephorus nova via ingressus Polybio antecessit, quod cum rebus narrandis coniungere instituit excursus quibus lectorem docere et delectare, res narratas illustrare, opiniones contrarias refellere soleret; descrip-

---

[1]) XII. 22 § 7. P. IV. 20 laudat locum e prooemio Ephori.
[2]) Eph. ap. Pol. XII. 27. 7.
[3]) P. V. c. 33 § 2.

tiones ad geographiam pertinentes, sermones denique longiores [1]). Hunc Ephori morem vehementer admiratus est Polybius, non minus quam rationem qua λόγον illum ἐπιμετροῦντα adhibere solet [2]): unius excursus Ephori mentionem facit, quo venuste et vere (εὐχαριστότατα καὶ πιθανώτατα) exposuerit quid interesset inter rerum scriptorem et oratorem [3]). Maxima laude dignum esse censet Ephorum ob operam collocatam in indagandis originibus, in describendis conditionibus, urbium et cognatione vel migratione gentium [4]); hunc τρόπον γενεαλογικόν, et τὸν περὶ τὰς ἀποικίας καὶ συγγενείας τρόπον [5]) mirifico studio amplexus est. Polybius tamen aliam partem historiae, τὸν πολιτικὸν τρόπον, sibi elegisse ait, ne in rebus satis exploratis denuo tractandis operam perderet. Itaque quamquam Polybius minime Ephori imitator dicendus est et in historia tam multa novavit, animos lectorum a rebus antiquis et obsoletis ad diem et praesentia tempora revocans, ut artem historiae conscribendae reformavisse recte dici possit, tamen multa ab Ephoro didicit, eiusque exemplo nititur in iis maxime rebus quae ad formam et scribendi rationem pertinent. — Sed cum in arte critica longe praecesserit Polybius, interdum eum reprehendit et gravium errorum convincit. Fidem eius et auctoritatem contra Timaeum defendit [6]), laudat descriptiones pugnarum navalium. Sed in describendis proeliis terra commissis, cum deficeret rerum militarium cognitione, eum obscura et inepta scripsisse ait.

---

1) Quod testatur Strabo VIII. p. 332.
2) P. XII. 28 § 10.
3) Ibid. § 11.
3) P. XXXIV. c. 1 § 3.
5) P. IX. 1 § 4.
6) P. XII. c. 4a § 3 sqq.; c. 23 § 1 et 3.

In *Theopompo* Polybius quaedam vituperat quae magis ad formam et scribendi rationem pertinent. Is enim, cum res Graecas scribere instituisset [1]) ab eo tempore inde quo Thucydides substitisset, ubi ad bellum Thebanum pervenit, argumento mutato, res Philippi adiit, quibus quasi fortuito subinde egressus subiungebat narrationem rerum Graecarum; quam rationem Polybius Graeciae dignitati imparem esse censet [2]). Non multo gravius mihi videtur alterum crimen a Polybio paullo vehementius ei obiectum. Summae enim inconstantiae signum in Theopompo ei esse videtur, quod is per omnes libros Philippum proposuisset virum impudentem et ferocem, qui per impotentiam etiam domum suam, quantum in ipso esset, in summum periculum duxisset, pessimum in parandis amicis, qui urbes plurimas per vim ac fraudem captas in servitutem redegisset, denique vino admodum deditum; cum tamen in prooemio dixisset se hac maxime causa ad scribendum impulsum esse, quod Philippo parem virum nunquam Europa tulisset [3]). At ab intemperantiae crimine multi reges celeberrimi absolvi nequeunt, qui tamen sempiternam gloriam sibi comparaverunt. Sed praeterea Theopompum accusat quod is Philippum eiusque commilitones acerbis calumniis insectatus sit [4]). Nescio annon plane aequus iudex hac in re fuerit Polybius. Primum enim non tam gravibus contumeliis Philippum dehonestat Theopompus; multo acrius invehitur in amicos eius et socios, quos, cum fere colluvio omnium gentium in Macedoniam con-

---

[1]) Ἑλληνικά — Φιλιππικά. De orationibus eius Plotius (Th. fr. 26) cfr. Wichers Theop. fragm. Leid. 1829.

[2]) P. VIII. c. 13 § 3 sqq.

[3]) P. VIII. 11 § 1—4 et c. 13 § 1 sq.

[4]) P. VIII. c. 11 § 5 — c. 12.

fluxisset, omni stupro et dedecori deditos, nullis flagitiis non inquinatos, denique lascivos, litigiosos, mendaces, bonorum alienorum cupidos fuisse dicit; sed ipsi Philippo hoc tantum exprobravit quod is consuetudine potatorum et aleatorum magis delectaretur quam frugi hominum, quod in vino intemperans esset, omnino quod divitias quas magnas possideret non solum liberalitate consumeret, sed etiam profunderet et perderet quasi plane ignarus pecuniae administrandae. Etiam explicat Theopompus causam: erat Philippus rudiore ac militari ingenio, voluptate et magnificentia consuetus, et negotia militaria praepediebant curam rei familiaris [1]). Sed haec Theopompi verba P. non laudavit; Athenaeus ea nobis tradidit. Itaque his omissis speciem imposuit Theopompi verbis quasi is acerbe in Philippum ipsum invectus sit. — Revera Theopompus nihil egit nisi quod, rhetorice rem augens et verborum specie [2]) exornans, iudicium a Demosthene de Philippo eiusque commilitonibus latum repetivit. Is enim, Olynth. B. § 17 sqq. (p. 23) fere eadem tradit quae Theopompus fr. 249 Mueller.

Intactae manent cum apud Demosthenem tum apud Theopompum ingentes Philippi ingenii vires [3]), mira constantia [4]), vigilantia, industria maior fere quam pro mortali [5]). Demosthenes idem dicit quod Polybius [6]),

---

[1]) fr. 249 (Mueller) Ath. IV. p. 166 eadem fere quae P. VIII. c. 12 e Theopompo laudat, sed praemissa parte quam Pol. omisit. Totum fragmentum recte composuit Wichers l. l.

[2]) „Adamavit Theopompus ἀντιθέσεις," ait Wichers, quales ἀνδροφόνοι — ἀνδρόπορνοι, et multa alia exempla addit.

[3]) Dem. p. 18 fin.

[4]) Dem. p. 247. 9.

[5]) Dem. p. 52. 9; p. 54. 9; p. 12 sq.; p. 362. 11 alibi.

[6]) Dem. p. 11. 25. — Pol. VIII. 12 § 6, V. c. 10 § 1.

nullum ante eum Macedonum regem rebus gestis ei parem fuisse; omnino recte atque aeque de Philippi meritis et egregio ingenio iudicat, et hac in re Theopompus etiam consentit [1]). Sed intemperantiae crimine eum absolvi non posse constat e testimonio Demosthenis et Theopompi (cui etiam alios auctores huius rei fuisse docet fr. 262). Omnino in aula Macedonica, cum Philippo rege tum postea, vitam degebant luxuriosam, fruebantur victu quodam profuso et militari, voluptatibus et magnificentiae addicti erant, quae in ceteras Graeciae partes Philippi tempore nondum permanaverant. Demosthenes hanc luxuriam respuens nimis momenti ei tribuit et Theopompus eam exaggeravisse videtur. Sed non minus exaggeravit Polybius culpam Theopompi (quem *ψεύστην καὶ κόλακα* dicit); et apparet Polybium operam dedisse ut Philippum etiam leviore crimine levaret, quem tanquam Peloponnesi liberatorem coleret.

Theopompum etiam aliquoties erravisse rerum imperitia ait Polybius [2]), denique inepte interdum *τερατολογεῖν*, cum nimis credulus fabulas tradat [3]). Sed contra Timaei fallaces accusationes eum defendendum esse putavit [4]).

Polyb. h. l. (V. c. 10) summopere laudat Philippum quod post pugnam ad Chaeroneam captivos Athenienses remiserit; idem narrat Diodorus XVI. 87 ut videtur e Theopompo (cfr. Mueller fragm. 262). Minus recte eodem loco Mueller opposuit laudibus a Polybio ob hanc moderationem Philippo datis, verba Theopompi quibus is orgia depinxit a Philippo inita post pugnam.

[1]) Ap. Pol. VIII. 11 § 1 *μηδέποτε τὴν Εὐρώπην ἐνηνοχέναι τοιοῦτον ἄνδρα τὸ παράπαν.*

[2]) P. XII. 25 f § 5. Theop. laudatur etiam XII. 27. 8 sq.

[3]) P. XVI. c. 12 § 7.

[4]) P. XII. c. 4a § 2.

Quae de *Timaeo* libro XII scripsit Polybius magna ex parte nobis servata sunt [1]). Praeter hanc partem quoties res a Timaeo traditas attingit, occasionem arripit refutandi, explodendi huius scriptoris. Omnia in eum cumulata convicia h. l. recensere nihil attinet quia ab aliis in fragmentis Timaei collecta sunt. Tribus praesertim vitiis eum obnoxium esse dicit P.: primum quod falsis criminibus et conviciis obruere soleat multos homines de quibus agit, multos etiam scriptores [2]), quo factum sit ut ipsi fama cresceret [3]). Itaque contra eum defendit Callisthenem, Agathoclem Siculum [4]), Democharen. Hunc summis flagitiis et stupro addictum fuisse scripserat Timaeus auctore Archedico quodam, tragediarum scriptore, quem unicum auctorem (et eum sane si hoc verum esset fide parum dignum) Timaeo hac in re fuisse scribit Polybius. Sed erravit P., nam Suidas e Timaeo etiam alium auctorem affert Democliden oratorem Atticum [5]). Praeter hoc maledicendi crimen P. eum plane imperitum et ignarum fuisse dicit multarum rerum de quibus scriberet; quod etiam vitae ratione quam tenuit adscribendum esse censet. Cum enim per 50 annos Athenis degeret, ibi molliter recubans bibliothecas perscrutatus est, varias auctorum

---

1) Timaeus fuit 352—256 a. C.; scripsit Σικελικά, res ante Ol. 129 gestas (P. I. 5 § 1; III. 31 § 2), Ὀλυμπιονίκας et res Pyrrhi (P. XII. 4 § 6); cfr. Mueller (Fr. H. Gr.) de vita et scriptis Timaei.

2) Ut Ephorum (P. XII. 28 11), Homerum (XII. 24. 1), Aristotelem (XII. 24. 2 et XII. 11), Theophrastum (XII. 11), Callisthenem, Theopompum.

3) XII. 25c.

4) XII. 15; VIII. 12. 12; de eodem Polybius IX. 23. 2, XV. 35 § 1 et 6.

5) Tim. fr. 140 (Mueller).

opiniones comparans; a cognitione vitae et rerum longe aberat [1]. Sed etiam, inquit, haec scientia umbratilis scribendi eius rationi parum profuit; cum diligentissimum se esse profiteretur in ordinandis temporibus, in inquirendis titulis et inscriptionibus, qua in re magnam famam nactus est [2], de origine Locrorum scribens foederis et legis exemplar se vidisse mentitus est quod nunquam extitit. Itaque et invitus decipitur cum verum a falso discernere non possit [3], et consulto lectores decipit [4]. Etiam quae ipse rebus traditis adiungit, excursus, orationes, frigidae cavillationis [5] et ineptiarum plenae sunt [6].

Fieri non potest quin de Timaei auctoritate iudicium feramus non multum a Polybii recedens. Nam quamquam ex ipsis Polybii verbis elucet quibus in Timaeum invehitur eum non sine studio et ira accumulasse quidquid indignum in rerum scriptore videri posset, neque iusto pretio eum aestimavisse doctrinam Timaei eiusque diligentiam in comparandis auctoribus, tamen ubicumque Polybius res ipsas exponit et contrariam suam opinionem prodit, peritia et scientia longe ei praecedere apparet Polybium, et Timaeum veritatem parum curavisse. In iis quae pertinent ad descriptionem Africae [7], Corsicae [8], Sardiniae [9], Italiae imprimis [10], Polybio

---

1) XII. 25^d § 1; 25^g, 27 sq.
2) XII. 10 § 4.
3) XII. 24 § 6.
4) XII. 12^a.
5) XII. 26^c.
6) XII. 25—26^d.
7) XII. 3 sq.
8) Ibid.
9) XII. 4^c § 1 sq.
10) XII. 4^c § 3, II. 16 § 5. De Romanorum origine in sacris agnoscenda XII. 4^b sq.

maiorem fidem habere nemo dubitabit, qui ipse eas regiones adierit et omnem operam posuerit in indagando quidquid cognitione dignum esse putaret. Sed neque lectorum utilitas, neque veritatis studium, excusare potest quod oneravit libros suos tam longis ambagibus, quibus suspicionem contrahit quasi ut altero scriptore exploso sua merita eo clarius fulgerent efficere voluerit.

Herodoti et *Thucydidis* libros quin cognoverit Polybius dubitari non potest; sed eorum studii nullum vestigium extat. Summis laudibus dignos esse Athenienses ait Polybius, quod cum Xerxes Graeciam bello peteret pro libertate Graeciae eius impetum tulerint [1]). Sed alio loco libertatis graecae contra Persas defensae omnem gloriam Spartanis obfert [2]). De Atheniensium republica iudicium tulit periniquum; Themistoclis tantummodo fortitudine factum esse ait [3]) ut respublica Atheniensis ad gradum aliquem dignitatis et gloriae pervenerit, quod etiamsi fortasse saepius factum est (*πλεονάκις μὲν ἴσως!*) magis singulorum virorum praestantiae quam civitati in laudem vertendum est [4]). Nam ipsa civitas, ita pergit [5]), fere semper remigii navis similis fuit domino carentis; qui quamdiu metu tempestatis continentur, concordes et gubernatori obedientes egregie officio funguntur; sed postquam e periculi metu exempti sunt, discordia erumpit qua spectaculum turpe spectatoribus, sociis vero navigationis extremum periculum contrahunt; itaque quemadmodum illa navis mare et

---

1) P. XXXVIII. c. 1^b § 1 sqq.
2) VI. c. 49 § 5 — cfr. e. g. Herod. VII. 138, 139.
3) VI. c. 44.
4) Vid. IX. c. 23 § 6.
5) VI. c. 44 § 3 sqq.

tempestates effugiens, prope portum et littus perit, sic Athenienses violentas tempestates fortiter pertulerunt, sed omnibus tranquillis temere interdum lapsi sunt. Oblitus est Polybius quod neque tempus quo ad Aegospotamos neque quo ad Chaeroneam pugnatum est, tranquillum Atheniensibus et periculi expers dici potest; at his ipsis pugnis respublica Atheniensis fracta est. — Tangit deinde alibi conditionem Athenarum qualis fuit initio belli Thebani, et ut rem omnibus notam [1]) exponit eo tempore, cum totus ager Atticus et omnium bona et res familiaris aestimarentur tributi ferendi causa, totam pecuniam aestimatam (τίμημα) fuisse 6250 talentorum. Sed tamen minus accurate rem tractavit; cum eum fugerit non omnia bona aestimata fuisse, sed quintam modo partem apud ditiores, minus apud reliquos [2]), permutavit errore τίμημα (pecuniam aestimatam) cum rebus domesticis civium. — Studii denique *Demosthenis* orationum vestigia extant in ea parte libri XVIII, qua quis sit proditor dicendus patriae inquirit; duos locos laudat orationis Demosthenis de corona, alterum quo Philippi socios graecos enumerat Demosthenes [3]), alterum de poena quae perfidiae immineat a regibus, cum proditorum opera usi sint [4]).

In iis quae de rebus graecis ante gestis iudicat Polybius, non potest quin agnoscamus iudicium eius esse viri graeci, civis Megalopolitani, denique foederis Achaici fautoris. Respublica Atheniensium nobis nunc videtur quasi nutricula ingenii graeci, quod in ea

---

[1]) P. II. c. 62 § 6: τίς γὰρ οὐχ ἱστόρηκε — κ. τ. λ.

[2]) Cfr. Schaefer, Demosth. und seine Zeit, I. p. 19.

[3]) P. XVIII. c. 14 § 2 — Demosth. de cor. p. 324.

[4]) P. XVIII. c. 15 § 9 sq. Demosth. de cor. p. 241 (§ 47). Locum memoriter laudatum esse apparet.

effloruit, fulsit, mox labefactata gloria civitatis paene extinctum est; ibi libertas aluit artes et ad poetarum, scriptorum, opificum cuiusque generis opera recte aestimanda et probanda aptas reddidit mentes civium; ibi fere omnes cives optimis naturae dotibus instructi liberalium artium fautores erant et laudatores. Sed haec Polybii aetate iam plane evanuerant; civitas Atheniensis debilis et corrupta a rebus graecis animum averterat, regibus barbarorum adulabatur [1]). In communi autem ingenii graeci infirmitate (nam etiam reliquae parti Graeciae, quasi lumine omnium gentium Athenis extincto, caligo quaedam obfusa erat), ea pars Peloponnesi primas partes tueri coepit quae antea florentibus rebus Graeciae contra Lacedaemoniorum nutum dicionemque respirare non poterat: Arcadiae tum primum aliquae libertatis et potentiae species nascebatur, cum respublica Atheniensis a summo fastigio descendisset, et idem tempus quo haec ruinam dedit Messenen et Arcadiam a Lacedaemoniorum dominatione plane liberavit; Arcades igitur de illo superiore tempore cogitabant tanquam de tempore oppressionis quo Spartae robori nihil resistere poterat (nonne etiam Athenae ei succubuerant?), et de rebus Graeciae superioribus iniquum ferebant iudicium, quod praesertim his duobus rebus claudicat. Primum enim non Athenis sed Spartae primarium locum assignabant; Sparta semper Graecarum civitatum princeps, Graeciae dominatrix (certe nonnisi brevibus interiectis temporis intervallis [2])) fuisse iis

[1]) P. V. 106 § 7. Cfr. P. XVI. c. 25 adulationes regi Prusiae oblatas.

[2]) Itaque civibus Atheniensibus praemium virtutis in bello cum Persis gesto praestitae fuisse dicit P. quod „περὶ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἡγεμονίας μετ᾽ ὀλίγον ἠμφεσβήτουν πρὸς Λακεδαιμονίους (P. XXXVIII. 1b § 4).

videbatur, neque quae nos in republica Atheniensi admiramur iusto pretio aestimare poterant. Itaque Philippi et Alexandri insidiae, quibus hi ingenio et libertati graecis frena iniecerunt, iis videbantur novae lucis et diei praeparationes; laudatores temporis acti esse non poterant nisi suis rebus dignitatem adimere vellent. Polybius autem cum Megalopoli natus in rebus Achaicis gerendis vitam degeret, res ante actas iustiore pretio aestimare non didicit, quamquam studia scriptorum Atticorum ei rectam viam indicare potuerant [1]); sed Atheniensium rempublicam fere cum Thebana componit [2]). Demosthenem vituperat quod is, cum suae urbis commoda contra Macedoniam defenderet, se pro tota Graecia et pro Graecorum libertate pugnasse simulaverit, et omnes Philippi socios Graecos proditorum nomine notaverit [3]). Quin etiam Demostheni exprobrare audet quod eventus rerum adversariis eius providentiae laudem conciliaverit [4]); pugna ad Chaeroneam commissa ei non est finis Graeciae sed initium libertatis Peloponnesi [5]). Accedebat quod foedus Achaicum Arati tempore nitebatur opibus Macedonicis et Antigoni regis; eo magis proditores dicere metuit Polybius eos qui antea Macedonum socii fuerant. — Quemadmodum in iis quae de Athenis et Macedonibus

---

[1]) Eum omnino non intellexisse praestantiam civitatis Atheniensis, eo etiam probatur quod despicit libertatem popularem VI. c. 57 § 9. Cfr. VI. c. 44.

[2]) VI. c. 43 sq.

[3]) P. XVIII. c. 14 § 11.

[4]) Ibid. § 12. Eventus sane Demostheni et Athenis adversus fuit, cum tot Graeci homines cum Philippo facerent. Sed numquis dicere potest qualis fuisset eventus, si, ut Demosthenes voluit, omnes Graeci simul Macedonibus restitissent?

[5]) Ibid. § 6.

sentit Polybius agnoscimus iudicium civis Megalopolitani, sic virum graecum in nimiis Lacedaemoniorum et Lycurgi laudibus. Polybium nunquam fugit quod civitates graecae sua aetate fere nihil valebant contra ingens imperii Romani robur; sed ne ingenium Graecum plane impar esse Romano credat, ad superiora Graeciae florentis tempora nunc provocat et praesentem turpitudinem compensat gloria superiore Spartae, cuius enim vires ipsi Arcades tam diu experti erant. Quomodo tandem, rogat, respublica Romana adeo aucta est? Et respondet: triplici rei publicae generum moderatione. Atqui eadem moderatio Spartae extitit. Quod Spartanis eventus minus splendidus fuit quam Romanis [1]), ei compensatur consideranti leges reipublicae Spartanae institutas esse ingenio unius viri (*διὰ λόγου*), cum Romani multis periculis, multis erroribus ad eam moderationem pervenerint (*διὰ πολλῶν ἀγώνων καὶ πραγμάτων*) [2]). Graecia etiamsi viribus inferior, ingenio tamen Romanis minime impar fuit!

Hoc cum ostendere vellet Polybius, in duos errores incidit; primum quod, ut videmus, de republica Lacedemonia falsa tradit, omnem Spartae gloriam ad unius Lycurgi instituta referens, et quidquid postea accessit omittens, alterum quod perperam ratiocinatus Lycurgi legibus laudem vindicat quam tribuere eis non debuit. Ait enim fere haec (VI. c. 48—50): Lycurgus veluti divino ingenio consuluit concordiae civium et libertati urbis, cum auri argentique usu iis interdiceret et agri possidendi modum statueret. Sed non satis cavit ne imperandi cupiditate inducti cives sui a prisca morum simplicitate deficerent. Praesertim cum magnas expe-

---

1) P. VI. c. 50 § 5 sqq.
2) P. VI. c. 11.

ditiones parare inciperent Lacedaemonii, leges Lycurgi neglectae et eversae sunt, cuius rei clarum testimonium conspicitur in sordidis pacis Antalcidae conditionibus [1]. Hoc igitur crimen Lycurgo imputandum est, ait, quod addere omiserit legem aliquam qua ut a tumultibus intestinis ita etiam a bellis externis eos abstineret [2]. Minime igitur sibi constat cum paullo post ita fere pergit: quicumque eum optimum reipublicae statum esse iudicat quo cives liberi et placidi degant, is concedere debet rempublicam Lacedaemoniorum omnium fuisse perfectissimam [3]. Sed si quis hoc civitati summum bonum esse credit ut multis imperet et omnia suo nutu regat, concedendum est rempublicam Lacedaemoniam hac in re deficere et Romana superari [4]. Immo hoc dicere debuit: si quis bellum praefert et potentiam, Lycurgi leges deficiunt; si contra pacem et concordiam, *non minus deficiunt*, nam Lycurgus pacem et continentiam suis civibus conservare et imponere omisit.

Itaque in iudicandis rebus Graecis memoriae traditis aliquantum sibi defuit Polybius, et aberravit studio novae Peloponnesi libertatis et cupiditate efferendi graecorum ingenii. In aliis rebus ubicumque hoc impedimentum abest praestitit se virum liberi et acuti ingenii. Omnia intellegere studet P., quatenus ab eo intellegi possunt, neque ullius traditionis aut divinae aut popularis auctoritate mentem suam obcaecari patitur; fidem se habere ulli traditioni praecise negat si sanae menti repugnet, ideoque signum fraudis vel erroris prae se ferat. Id cum in ratione artis criticae

---

[1]) C. 49 § 5 sq.
[2]) VI. 48 § 7.
[3]) VI. c. 50 § 1 sq.
[4]) Ibid.

exercendae, tum in iudicio de *rebus divinis* conspicitur. Metus et cultus deorum instituti esse ei videntur ad coercendam plebis libidinem; pietatem erga deos hanc ob causam in republica colendam esse opinatur quia ea fere cum bonis moribus et probitate coniuncta sit [1]; quin etiam superstitionem, δεισιδαιμονίαν, quam a plerisque hominibus sperni videat, Romanis magnae utilitati fuisse censet, nam cum ut omnes cives sapientes sint fieri non possit, superest ut vanis quibusdam terriculis animi plebis premantur [2]. Itaque certo quodam consilio deorum et Tartari commenta veteres (οἱ παλαιοί) induxerunt; Romani autem cum pietatem erga deos servaverint, probitate longe praestant Graecis; viro, inquit, graeco rempublicam gerenti etiamsi decem adduntur custodes ne talentum quidem tute confidere possis; Romani a furto maxime alieni sunt. Ob hanc religionis utilitatem etiam scriptoribus venia est cum de rebus divinis miracula tradant, ne plebs a deorum metu eximatur [3]. Haec Polybii sententia causam ostendit cur ipse interdum ad deorum numen et vindictam provocat [4]; hoc infirmitati plebis et communi consuetudini dedit. Hoc unum ei vitio vertendum videtur, quod opinatus sit, quemadmodum ipse cultum deorum sperneret, sic omnes homines sapientia insignitos ad eandem mentis sanitatem pervenisse et ratione atque

---

[1]) Itaque pietas civium interdum ei est signum probitatis; VI 20; V. 106. Templorum violationes, res impie gestas, ob eandem causam improbat IV. 67 § 4; V. 9 § 1—6 et 10 § 6; VII. 13 § 3; 14 § 3; vel quia stulti est iram in homines susceptam contra deos effundere XI. 7 § 2.

[2]) P. VI. c. 56.

[3]) P. XVI. c. 12 § 9.

[4]) P. XXXII. 25 § 14, sed cfr. XXXI. 11 § 4: ὡς ἔνιοί φασι, 13 § 2; IV. 21 § 11; XI. 24 § 8.

consilio tantum ductos metum deorum et superstitiones consulto plebi imposuisse. Sic veteres deorum cultum instituisse ait [1]); Lycurgus oraculum Pythiae consultavit ad firmandas leges suas, quamquam ipse fidem ei non habuit [2]); Scipio multa commenta, somnia, omina finxit, ut fallaci quodam auxilii divini specie hominum mentes captaret [3]).

Apparet igitur Polybium ipsum deos non coluisse; fortasse id tribuendum est studio philosophiae Epicuri vel eius discipulorum (fortasse etiam Euhemeri, vid. supr.), cuius etiam aliud vestigium extat. Nam non solum virtutem summi pretii esse ducit, et res gestas quas tradit fere semper ad recti et boni rationem exigit [4]), sed ubi virtutis originem tangit, ait sensum eius *quid deceat*, *quid minus*, et totam rationem aequi bonique ortam esse ex utilitate [5]). Aliquae eo loco vestigia posuit in via optima; sed cum brevi sententiam aliquam praesumptam explicare studeret, miro quodam modo manca evasit ratiocinatio et me iudice manifesto falsa. Nam postquam statuit monarchiam natura (φύσει) esse antiquissimum imperii genus, inde ortum quod defensione et auxilio fortis cuiusdam viri opus sit civitati, deinceps exponit ei viro forti etiam postea

---

[1]) VI. 56 § 7.

[2]) P. X. 2 § 9—13.

[3]) Ibid.

[4]) E. g. fraudem Hannibalis reprehendit III. c. 15 § 9 sq.; Romanos ob auxilium Mamertinis datum III. c. 26 § 6. Integritatem laudat apud Romanos XIII. c 3 § 7, fraudem et astutiam improbat XXIII. c 10, alibi. Permulta huiusmodi omitto.

[5]) VI. c. 6 § 1—9. Cfr. Epicuri sententiam ap. Hor. Sat. I. 3. 98: „Utilitas, iusti prope mater et aequi" Cfr. etiam P. III. c. 4 § 11.

obedire cives cum senectute fractus non amplius eos defendere possit dominus, quamquam etiam viribus caret quibus cives ad obedientiam cogere initio solitus fuerit. Sed cives se regi patiuntur ab eo, cuius iustitiam tam diu experti sunt, et cum ab eo tempore inde regantur cives ratione (*λογισμῷ*), non metu, dominus rex est factus. Sed Polybius sentit hoc explicationis indigere quomodo ille *sensus* iustitiae apud cives ortus sit. Itaque ad probandam illam opinionem quae plane ficta est neque ullis veterum testimoniis nititur (nempe quod regnum e sensu iustitiae civium ortum sit), exempli gratia exponit quomodo omnino iustitiae sensus extiterit. Hominibus cum primum in coetibus vivere inceperunt, ait, mox puerorum educatio curae est; ubi autem aliquis filius nuper adultus parentibus suis debitam gratiam et auxilium se redditurum esse negat, contra male cum iis agit, apud omnes alios cives qui hoc vident metus oritur ne sui liberi idem facturi sint, et in iuvenem illum animadverti cupiunt. Eodem modo si quem pro beneficiis maleficia reddere vident, omnes cives poscunt ut hic poenas det, cum metuant ne sibi idem accidat. Ex his, ait Polybius, oritur sensus quidam apud omnes et contemplatio eius quid deceat quid non, quod est initium et finis iustitiae [1]). Eodem modo, ita pergit, cives dominum avarum et violentum oderunt, bonum et strenuum colunt, et eius beneficia remunerari cupiunt. Et hinc rursus oritur apud cives sensus quidam et contemplatio (*θεωρία*) mali et boni (*αἰσχροῦ καὶ καλοῦ*) in principibus regibusque, quorum hoc propter utilitatem (*διὰ τὸ συμφέρον*) laudem et imitationem excitat,

---

[1]) VI. c. 6 § 7: *ἐξ ὧν ὑπογίγνεταί τις ἔννοια παρ᾽ ἑκάστῳ τῆς τοῦ καθήκοντος δυνάμεως καὶ θεωρίας* (legendum *θεωρία*) *ὅπερ ἐστὶν ἀρχὴ καὶ τέλος δικαιοσύνης.*

illud respuitur. Itaque hoc modo oritur iustitia civilis, sive ad rempublicam pertinens. — Polybius virtutum originem quaesivisse videtur in *usu* atque *experientia generis humani*, et in illa ratiocinatione hoc propositum vehementer probandum esse censeo; haec ratio verissima et multo sanior quam Platonis, qui cum virtutes divinitus animis incussas esse statuat [1]), nihil explicet, contra rem magis obscuram reddat. Sed praeter rationem qua utitur nihil verum et probandum esse censeo; exempla quae dat minime sufficiunt ad rem explicandam. Nam quamquam iis exemplis illustrari recte potest qui factum sit ut cives eas virtutes quarum pretium antea in vita privata tantummodo experti sint etiam aliis imponi et praescribi velint, etiamsi iis cum his aliis nulla consuetudo intercedat, et ut cives eorum facinorum poenas dari cupiant quae cum in alios commissa sint, sibi ipsis statim damno non sint: id est, quomodo *leges* et *iustitia publica* orta sint: — nemini, opinor, haec exempla sufficere videbuntur ad explicandum quomodo ipsa virtus, ipse iustitiae sensus in rudibus priscorum hominum mentibus ortus et confirmatus sit. Iustitiae sensus neque in educatione liberorum neque in ira ob beneficia male remunerata primum conspicitur: adfuit et viguit ubi primum homines incolumes ipsos vivere et rem suam familiarem intactam se servare cupierunt, quod fieri non posse mox experti sunt nisi aliis idem concederent. Deinde quod dicit, ex iustitiae sensu factum esse ut reges ratione regnare possent et crearentur, id plane improbandum esse mihi videtur; consuetudo obsequendi, lucri quaestus, quo nonnulli incitantur ad regi opem ferendam, praeter ea aliae res, magis hac in re valuisse mihi videntur.

---

1) Ex gr. Plato Polit. c. 47 (pag. 309 C.)

Quatenus hanc rationem philosophis Graecis recentioribus, ut Epicuro aliis, debeat Polybius, explicare non possumus; neque diserte dicit num quam philosophiae disciplinam reliquis praetulerit. Nam quod XII. c. 26c acerbe invehitur in ineptias quales suo tempore in Academia Athenis movebantur ab iis qui, ut ratione dialectica se exercerent, inutilibus cavillationibus incredibilia affirmare, certa labefactare studerent — ad haec non pertinent.

Cum Polybii ratione philosophandi coniunctum est, quod etiam res traditas, singula facta intellegere studet, quod tantum fieri posse opinatur postquam indagatum sit quid singulis rebus antecesserit, quid simul et postea acciderit [1]). Neque satis factum esse ei videtur si quis dixerit „hoc deus fecit," „illud fortuna accidit." Nam ita putat vinculum revelli rerum, quod tantum qui cognoverit, e rerum gestarum memoria veram utilitatem possit trahere. Talis ratio cuique rerum gestarum scriptori egregia commendatio est; nam qui eam tenet rerum gestarum scriptor, non omittet satis plenam imaginem lectori proponere temporis de quo agat. Munus optimi rerum scriptoris est hoc, ut ante omnia quam plurima nobis facta inter se cohaerentia et res gestas continua narratione coniunctas, tradat; ita enim maxime lector intellegere poterit quomodo aliae ex aliis originem ceperint; ut quam plenissime explicet indoles et voluntates, etiam vitas, personarum, mores et consuetudines civium, conditionem urbium et populorum, multa alia denique eiusmodi. — Sed Polybius credit se ita vinculum causarum et effectuum, rerum necessitatem perspexisse, ut e praesentibus etiam futura praedicere possit. Omnem dubitationem sustulisse sibi

[1]) P. III. c. 31 § 11; cfr. III. 32 § 6.

videtur cum probe distinxerit (quod longis excursibus facere solet) inter rerum causas (*αἰτίας*), praetextus (*προφάσεις*), initia (*ἀρχάς*) [1]. Causae nomine plerumque exponit voluntates et studia vel iras personarum agentium [2]; praetextus ei sunt causae quas prae se ferunt personae; haec omnia exponere est boni rerum scriptoris et melius etiam de lectore meritus esset si omissis ambagibus etiam plenius res ipsas nobiscum communicasset. Eas res, quae antea, quae simul acciderunt nos etiam causae nomine amplecti solemus et in eas diligenter inquirere, sed Polybius hac voce ita abutitur ut causas rerum ante gestarum aeque certe se exploravisse credat atque rerum ad naturam pertinentium. Eum fugit quod, ut rerum ad naturam pertinentium causas ostendere vel indagare facile est, sic difficillimum est rei alicuius memoria traditae causam inquirere, nam talis res vulgo nititur partim rebus magnis quae ostendi possunt, partim multitudine rerum minutissimarum quas sciscitari nemo potest; in illis rebus quae ad naturam pertinent ratio causae inquirendae certa est quia inquisitionem quoties libet instaurare possumus; in his quae ad historiam pertinent, illa ratio semper vacillat et claudicat. Consuetudo autem abutendi nomine *αἰτίας* interdum ad gravem errorem eum perduxit; scilicet ut e rebus praesentibus et ante gestis de futuris praedici posse putaret [3]), quae ratio quam inepta sit clarissime apparet ex ipsius admiratione fere puerili

---

[1]) Vid. longos excursus III. c. 6—c. 7 § 4; c. 12 § 7; c. 30; I. c. 65 § 8 sqq.; XXII. c. 19ª; VI. c. 48—50.

[2]) Cfr. P. II. c. 56 § 16: *ἐν παντὶ τὸ τέλος κεῖται — ἐν ταῖς αἰτίαις καὶ προαιρέσεσι τῶν πραττόντων*, et passim.

[3]) VI. c. 3 § 2: *τό τε γὰρ ἐξαγγεῖλαι τὰ γιγνωσκόμενα ῥᾴδιον, τό τε προειπεῖν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος στοχαζόμενον ἐκ τῶν ἤδη γεγονότων εὐμαρές.* VI. c. 9 § 12.

scriptoris cuiusdam qui forte fortuna in verum inciderit [1]). Verum quamquam in causis rerum indicandis saepe operam perdidit Polybius, contra magnae laudi ei habendum est quod noluit causas rerum singularum ad deum vel fortunam referre. Nam qui ad fortunam provocare solet rerum scriptor, omittet res quae antea et simul acciderunt exponere, et efficiet ut lector res traditas intellegere non possit. Hoc sensit Polybius [2]); intellexit etiam, in eis rebus vulgo ab hominibus fortunam vel deum advocari, quae quomodo cum reliquis cohaereant perspicere non possint sive quod causa latet, sive quod contra opinionem acciderunt. Tamen re non satis pensitata nunc huc nunc illuc animo fluctuat: *ὧν μὲν*, ait, *ἀδύνατον ἢ δυσχερὲς τὰς αἰτίας καταλαβεῖν ἄνθρωπον ὄντα, περὶ τούτων ἴσως ἄν τις ἀπορῶν ἐπὶ τὸν θεὸν τὴν ἀναφορὰν ποιοῖτο καὶ τὴν τύχην, οἷον ὄμβρων καὶ ὑετῶν ἐξαισίων ἐπιφορὰ συνεχὴς ἢ τἀναντία πάλιν αὐχμῶν καὶ πάγων καὶ διὰ ταῦτα φθορὰ καρπῶν, ὁμοίως λοιμικαὶ διαθέσεις συνεχεῖς ἄλλα παραπλήσια τούτοις, ὧν οὐκ εὐμαρὲς τὴν αἰτίαν εὑρεῖν* [3]). Ex initio huius sententiae efficeret aliquis Polybium statuere

---

[1]) P. XXIV. c 6c. Demetrius Phalereus in libro de Fortuna dixerat, Macedones tum donis fortunae uti ἕως ἂν (ἡ τύχη) ἄλλο τι βασιλεύσηται περὶ αὐτῶν. Haec verba quae prorsus nihil significant Polybio divini vatis esse videntur, ad finem Persei ea accommodanti. Polybius adeo hac in re sibi defuit ut non videret Demetrium nulla certa ratione uti, sed omnia ad fortunae inconstantiam referre: (ib. § 3) „ἡ πρὸς τὸν βίον, ait Demetrius, ἡμῶν ἀσύνθετος τύχη καὶ πάντα παρὰ τὸν λογισμὸν τὸν ἡμέτερον καινοποιοῦσα καὶ τὴν αὑτῆς δύναμιν ἐν τοῖς παραδόξοις ἐνδεικνυμένη.

[2]) I. 63 § 9: Romani neque τύχῃ neque αὐτομάτως vicerunt; X. 2 § 5—7, de Scipione minore (πρὸς τὸ μήτε διαπορεῖν τοὺς ἀκούοντας διὰ τὸ παράδοξόν τι φανήσεσθαι τῶν συμβαινόντων μετὰ ταῦτα περὶ αὐτόν); XVIII. c. 28 § 4.

[3]) P XXXVII. c. 4 § 2.

omnes res habere causam aliquam naturalem etiamsi abdita sit (*ὧν δυσχερὲς τὰς αἰτίας καταλαβεῖν*). Itaque permittere non debuerat eas ad deum vel fortunam referri. Polybii philosophia hac in re labitur, non quod omnium rerum causas indagare studeat, sed quod aliarum rerum causas se exquisivisse nimis temere statuat (ut belli alicuius), contra aliarum rerum causas quas indagari posse desperat, referri permittat ad voluntatem dei vel fortunae, „ignorantiae asylum" [1]). Itaque temere vulgi rationem imitandam commendat: *διόπερ εἰκότως περὶ τῶν τοσούτων ἀκολουθοῦντες ταῖς τῶν πολλῶν δόξαις διὰ τὴν ἀπορίαν, ἱκετεύοντες καὶ θύοντες ἐξιλασκόμενοι τὸ θεῖον πέμπομεν ἐρησόμενοι τοὺς θεοὺς τί ποτ' ἂν ἢ λέγουσιν ἢ πράττουσιν ἡμῖν ἄμεινον εἴη καὶ γένοιτο παῦλα τῶν ἐνεστώτων κακῶν* [2]). Qui hac via ingreditur ad pessimam superstitionem facile delabetur. Verum nunc ei usui venit quod modo reprehendi, eum fere omnium rerum memoriae traditarum causas efficientes indagari posse credere. Itaque lepidum spectaculum nobis offert scriptoris, qui res historia traditas ad certas causas, res contra naturales ad deum vel fortunam referat; cuius rationis recentiores saepissime contrariam inire videmus. Sed nunc quaerimus de ratione qua res gestas exponat, et hac in re levior error a graviore eum retinuit. Nam ita pergit: *ὧν δὲ δυνατόν ἐστι τὴν αἰτίαν εὑρεῖν ἐξ ἧς καὶ δι' ἣν ἐγένετο τὸ συμβαῖνον οὔ μοι δοκεῖ τῶν τοιούτων δεῖν ἐπὶ τὸ θεῖον ποιεῖσθαι τὴν*

---

[1]) B. de Spinoza (Eth I. p. 220 ed. Bruder). Cfr. Pol. X. 5 § 8: *οἱ γὰρ μὴ δυνάμενοι τοὺς καιροὺς μηδὲ τὰς αἰτίας καὶ διαθέσεις ἑκάστων ἀκριβῶς συνθεωρεῖν ἢ διὰ φαυλότητα φύσεως ἢ δι' ἀπειρίαν καὶ ῥᾳθυμίαν, εἰς θεοὺς καὶ τύχας ἀναφέρουσι τὰς αἰτίας τῶν δι' ἀγχίνοιαν ἐκ λογισμοῦ καὶ προνοίας ἐπιτελουμένων*; et XXIV. c. 9 § 2: *τίς γὰρ ἀνάγκη ψευδεῖ λόγῳ χρωμένοις ματαίως προσκυνεῖν τὴν τύχην.*

[2]) P. XXXVII. c. 4 § 3.

ἀναφοράν — κ. τ. λ. [1]). Neque magni refert eum interdum in rebus quae contra opinionem acciderunt de δαιμονοβλαβείᾳ vel deorum numine [2]) locutum esse, interdum etiam iis formulis uti δαιμονίως πως, τύχῃ [3]) aliis quae plane idem significant quod illa „nescio quomodo," „nescio quamobrem," vel quibus indicat homines qui tales res „fortuitas" patiuntur, eas cavere non potuisse ideoque omni *culpa* absolvendos esse [4]). His formulis et Polybius saepe, et omnes fere quotidie brevitatis gratia utuntur, neque quamquam minus constanter ita loquimur, ab iis cavendum est, dummodo ne quidquam momenti eis tribuatur [5]).

Ostendere conatus sum quid in historiae scribendae ratione Polybii valuerint traditiones populares et philosophiae disciplina quam elegerit. Vidimus eius philosophiam minime impedire quominus res naturae congruenter et inter se cohaerentes vere et plene exponat, contra vulgo eum incitare ad plenam temporis quod describit imaginem informandam. Eo magis hoc intererat, quod, ut ostendere conabor, ea pars in qua plane a sana ratione deflexisse mihi videtur Polybius,

---

[1]) Ibidem § 4.

[2]) P. XXXVII. c. 4 § 12; XI. c. 24 § 8; XXIV. c. 8 § 14.

[3]) XXIX. c. 11 § 12 alibi.

[4]) XXIV. c. 8 § 1 et 12; XXVII. c. 14 § 4; XXIX c. 6d; II. c. 7 § 2 sqq. Pol. ap. Liv. XLIV. c. 40 med; P. XL. c. 13 et passim.

[5]) Ubi de rebus gestis τῆς τύχης, de poenis a τύχῃ impositis loquitur Polybius, eadem utitur prosopopoeia quae nobis usitata est. Cfr. praeter locos laudatos I. 4 § 1; et § 4; I. 84, 10; II. 4. 3; XVIII. 12. 2; XV. 21. 3; XXXII. 20a et passim. Dissentio a Markhausero (der Geschichtschr. Pol., seine Weltanschauung und Staatslehre, München 1858) p. 114, qui Polybium non fuisse ἄθεον (!) ita probare studet, quod ostendat eum persuasum habere existere deam fortunam, τύχην.

referenda est ad studium parum accuratum et imitationem parum prudentem antiquorum philosophorum, inprimis Platonis.

Quae enim libro sexto de rerum publicarum generibus et de orbe quo genera versantur exposuit Polybius, non ab ipso omnia inventa, apud omnes, credo, constat. Sed consilium quo ea repetivit et brevi enarravit novum est et Polybio proprium. Agit enim de republica Romana; demonstrare studet eam rempublicam, quamquam rebus publicis Graecis non parum praestet, tamen, cum ex eisdem partibus composita sit, sempiternam non esse et aliquando esse interituram. Itaque non multum operae collocare ei opus est in iis quae de rebus publicis Graecis praemittenda sunt; satis habet brevi exposuisse de generibus rerum publicarum Graecarum, quomodo aliud semper in aliud transeat, et cum meminisset in libris Platonis multa legere quae proposito suo servire possent, harum rerum quasi summam quam brevissime factam praemisit. Consentaneum est, eum hac via ingressum sententias Platonis nudas et mancas exposuisse; alia addere, alia omittere, omnia contrahere debuit. Itaque evasit ratiocinatio saepe plane discrepans a sententia Platonis, neque affirmare possumus Polybium totam hanc partem e libris Platonis sumpsisse; sed primum ratio quam sequitur Platonis est, deinde singulas sententias ab eo sumpsit quas tanquam omnibus notas et pervulgatas brevi tantum tangit, quas ipse excogitare non potuisset, vel si ipse excogitasset uberius et copiosius exposuisset; his sententiis, quas non ipsius persuasione sed unice aliorum auctoritate niti apparet, utitur quasi iam plane comprobatae et certae essent, neque integris iis utitur, ut a Platone erant inventae, sed paullum immutatis ad consarcinandam quae ipsi probabilis videtur opinio-

nem. Iam initio ubi de copia rerumpublicarum Graecarum agit Polybius et de earum vicissitudine Platonem audimus:

Pol. VI. c. 3: *τῶν μὲν γὰρ ἑλληνικῶν πολιτευμάτων ὅσα πολλάκις μὲν ηὔξηται, πολλάκις δὴ τῆς εἰς τἀναντία μεταβολῆς ὁλοσχεροῦς πεῖραν εἴληφε.*	Plato legg. III. 1 p. 676 C: *„μυρίαι μὲν ἐπὶ μυρίαις ἡμῖν γεγόνασι πόλεις — κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν δὲ τοῦ πλήθους λόγον οὐκ ἐλάσσους ἐφθαρμέναι, πεπολιτευμέναι δ' αὖ πάσας πολιτείας πολλάκις ἑκασταχοῦ καὶ τότε μὲν ἐξ ἐλαττόνων μείζους, τότε δ' ἐκ μειζόνων ἐλάττους καὶ χείρους ἐκ βελτιόνων γεγόνασι καὶ βελτίους ἐκ χειρόνων.*

Hoc cum constaret, inde effecit Polybius etiam de futuro praedicere facile esse, scilicet quod ad civitates Graecas pertineret; nam de civitate Romana rem magis implicatam esse statuit propter varietatem (*ποικιλίαν*) huius reipublicae; quamobrem, ait, *διόπερ οὐ τῆς τυχούσης ἐπιστάσεως προςδεῖται καὶ θεωρίας, εἰ μέλλει τις τὰ διαφέροντα καθαρῶς ἐν αὐτῇ συνόψεσθαι.* Quasi in rebus graecis *ἡ τυχοῦσα ἐπίστασις* sufficeret ad praedicendum de futuro!

Exponit deinde Polybius apud omnes scriptores (*τοὺς πλείστους τῶν βουλομένων διδασκαλικῶς ἡμῖν ὑποδεικνύειν περὶ τῶν τοιούτων*) ferri illa tria reipublicae genera. Eadem Plato et alibi et de Rep. I p. 338 D., Polit. p. 291 D. Sed, ait, his tria alia etiam accedunt quae cum illis ita coniuncta sunt ut bina semper cohaereant (*συμφυῆ γένη, συμφυὴς κακία*), binorum autem alterum deterius. In hac autem sententia iterum Platonem agnoscimus. Is enim [1] *πρὸς τὸ βίαιόν που*, ait, *καὶ ἑκούσιον ἀποσκοποῦντες νῦν, καὶ πενίαν καὶ πλοῦτον, καὶ νόμον καὶ ἀνομίαν ἐν αὐτοῖς γιγνόμενα, διπλῆν ἑκατέραν*

[1]) Polit. p. 291. E.

τοῖν δυοῖν διαιροῦντες μοναρχίαν μὲν προςαγορεύουσιν ὡς δύο παρεχομένην εἴδη, δυοῖν ὀνόμασι, τυραννίδι, τὸ δὲ βασιλικῇ [1]), — *τὴν δὲ ὑπ᾽ ὀλίγων γε ἑκάστοτε κρατηθεῖσαν πόλιν ἀριστοκρατίᾳ καὶ ὀλιγαρχίᾳ, δημοκρατίας γε μήν, ἐάντ᾽ οὖν βιαίως ἐάν τε ἑκουσίως τῶν τὰς οὐσίας ἐχόντων τὸ πλῆθος ἄρχῃ καὶ ἐάν τε τοὺς νόμους ἀκριβῶς φυλάττον ἐάν τε μή* (Pol. c. 4 § 10: *ὕβρις καὶ παρανομία*) *πάντως τοὔνομα οὐδεὶς αὐτῆς εἴωθε μεταλλάττειν* (Polyb. huic formae nomen dedit *ὀχλοκρατίᾳ*). — Ea sex genera autem, addit, semper aliud in aliud transeunt. Haec Polybius ideo potissimum se praemisisse ait, ut easdem vices mutavisse rempublicam Romanam postea demonstraret (c. 4 § 13); eodem consilio brevi huius mutationis rationem exponet. Iam hoc loco *auctorem suum nominat* Platonem; accuratius fortasse, ait [2]), de ea egerunt Plato et alii quidam philosophi [3]), sed rem

---

[1]) Plato h. l. *μοναρχίας* duo genera esse dicit, *τυραννίδα* et *βασιλικήν*; hoc Polybius etiam voluit sed addere neglexit. Itaque Polybius sex formas esse statuens, septem generum nomina induxit, neque recte intellegi potest nisi collato auctore eius Platone.

[2]) VI. c. 5 § 1.

[3]) P. La-Roche (Charakteristik des Polybius, Leipz. 1857) p. 18: „befremden musz es, das er des Aristoteles nicht namentlich erwähnt." Credo equidem ad Aristotelem has voces Polybii referendas esse; sed unum Platonem in his sequitur, de Aristotele tantum cogitavit, quia noverat hunc et alios de rebus publicis scripsisse. Sed Aristotelis ratio toto coelo discrepat a Platonis et Polybii et multo sanior est; is enim semper ad res gestas, ad veritatem provocat neque sententia praesumpta aciem obcaecari patitur. Polybius melius fecisset si in Aristotelis Politicis legendis magnam operam posuisset, qui enim de rebus publicis Graecis non *τῇ τυχούσῃ θεωρίᾳ* egerit; meliora didicisset Polybius de vicissitudine civitatum (ideo meliora quia nituntur rebus gestis), Platoni contraria; cfr. Aristot. Polit. V. c. 10:

implicatam et longam brevi nunc exponet. Si quid desiderari videbitur, rerum singularum expositione mox defectus compensabitur. Indicat his verbis se de republica Romana tantum data opera acturum esse, de Graecis autem brevi exponere sententiis Platonis sua ratione adhibitis contractis mutatis. Iam paullo post ostendemus, eam sententiam civitatis formas semper in eodem orbe versari Platonis esse, quamquam Polybius ea non plane eodem modo utitur. Sed antea enarrabimus quemadmodum Polybius eas transitiones fieri statuerit. — Prima civitas humana quomodo orta sit, e quibus initiis originem ceperit Polybius exposuit fretus auctoritate Platonis. Sed cum is ad vetustas poetarum traditiones provocaret, aliquo certe, etsi debili, utitur testimonio. Polybius tali re opus esse minime credit. Verum tamen Plato, ut philosophus, nihil affirmare studet nisi quod *fieri potuisset*, et quod, si quaedam conditiones adessent, *factum esset;* Polybius quippe qui res vere gestas nos docere velit, hanc veniam impetrare non potest. Itaque si uterque idem dicit, h. l. non est idem:

Pol. VI. c. 5 § 4: *ποίας οὖν ἀρχὰς λέγω καὶ πόθεν φημὶ φύεσθαι τὰς πολιτείας πρῶτον; ὅταν ἢ διὰ κατακλυ-*

Plato Legg. III 677: *Α. ἆρ' οὖν ὑμῖν οἱ παλαιοὶ λόγοι ἀλήθειαν ἔχειν τινὰ δοκοῦσιν; Κ. ποῖοι δή; Α. τὸ πολλὰς ἀνθρώπων φθορὰς γεγονέναι κατακλυσμοῖς*

πλεονάκις γὰρ εἰς τὴν ἐναντίαν μεταβάλλουσι πᾶσαι αἱ πολιτεῖαι ἢ τὴν σύνεγγυς, et paullo post: ἀλλὰ μεταβάλλει καὶ εἰς τυραννίδα τυραννίς, ὥσπερ ἡ Σικυῶνος ἐκ τῆς Μύρωνος εἰς τὴν — Κλεισθένους, καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν ὥσπερ ἡ ἐν Χαλκίδι ἡ Ἀντιλέοντος, καὶ εἰς δημοκρατίαν ὥσπερ ἡ τῶν Γέλωνος ἐν Συρακούσαις, καὶ εἰς ἀριστοκρατίαν ὥσπερ ἡ Χαριλάου ἐν Λακεδαίμονι καὶ ἐν Καρχηδόνι, καὶ εἰς τυραννίδα μεταβάλλει ἐξ ὀλιγαρχίας ὥσπερ ἐν Σικελίᾳ — — κ. τ. λ. His verbis prorsus eversa sunt Platonis et Polybii commenta.

σμοὺς ἢ διὰ λοιμικὰς περιστάσεις ἢ δι' ἀφορίας καρπῶν ἢ δι' ἄλλας τοιαύτας αἰτίας φθορὰ γένηται τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους, οἵας ἤδη γεγονέναι παρειλήφαμεν καὶ πάλιν πολλάκις ἔσεσθαι ὁ λόγος αἱρεῖ, τότε δὴ συμφθειρομένων πάντων τῶν ἐπιτηδευμάτων καὶ τεχνῶν — — τε καὶ νόσοις καὶ ἄλλοις πολλοῖς ἐν οἷς βραχύ τι τῶν ἀνθρώπων λείπεσθαι γένος.... Φέρε δή, νοήσωμεν μίαν τῶν πολλῶν ταύτην τὴν τῷ κατακλυσμῷ ποτε γενομένην — καὶ δὴ τοιούτους (ἀνθρώπους διασεσωσμένους) γε ἀνάγκη που τῶν ἄλλων ἀπείρους εἶναι τεχνῶν καὶ τῶν ἐν τοῖς ἄστεσι πρὸς ἀλλήλους μηχανῶν εἴς τε πλεονεξίας καὶ φιλονεικίας καὶ ὁπόσ' ἄλλα κακουργήματα πρὸς ἀλλήλους ἐπινοοῦσιν κ. τ. λ.

Plato deinde, ut omnibus notum est, uberius exponit de conditione humani generis, quod nullis artibus, legibus, bellis, placide degerit in summis montibus (677—679 E). Mox genus quoddam reipublicae existit, cum homines imperio hereditario senum et patrum familias regantur (680 B. „*δυναστείαν*"; 680 E. „*τὸ πρεσβύτατον ἄρχει — πατρονομούμενοι καὶ βασιλείαν πασῶν δικαιοτάτην βασιλευόμενοι*"); cuius rei Platoni auctor est Homerus de Cyclopibus idem tradens (680 B). Polybio contra operae non esse videtur illustrare illam primam humani generis conditionem; ad originem regni properat. Animadvertendum est etiam, a Polybio res mirifice conturbari; nam quasi revera ab initio inde generis humani exorsus esset, exponendum esse censet de origine virtutis et iustitiae. Apud Platonem contra, cum homines iam ante diluvium societate iuncti degerint, sensum iustitiae et deorum cultum conservaverunt (679 C. „*περὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων τὰ λεγόμενα ἀληθῆ νομίζοντες ἔζων κατὰ ταῦτα*). Melius fuisset si Polybius illud diluvium Platonis omnino non tetigisset; sed omnia libere fingere ausus non est, ideoque res perturbavit.

Homines autem, ait, cum post diluvium congregati denuo essent, ei obediverint necesse est, qui maximis viribus animi et robore corporis eos defendere et ad obedientiam cogere posset (c. 5 § 7). Num revera hoc ita gestum sit (quod vehementer dubito), num e priscorum scriptorum, ut Homeri, carminibus aliquid de iis rebus cognosci possit (ut censet Plato), num aliquid intersit „inter patriarcharum" et regium imperium, haec indagare non tanti esse videtur Polybio; „necesse est" (*ἀνάγκη*) ait; ferae enim etiam ita vivunt, *οἷς ὅρος μέν ἐστι τῆς ἀρχῆς ἰσχύς, ὄνομα δ'ἂν εἴποι τις μοναρχίαν.*

A Platonis imitatione exorsus, hunc deserit Polybius ubi ad firmandam opinionem praesumptam alia comminisci ei expedit; Romanae civitatis initium, reges Albani et Romulus menti eius obversantur; et ut ostendat rempublicam Romanam obnoxiam esse legibus aeternis, ex ipsius reipublicae Romanae casibus tales leges fingit et ad voluntatem suam omnia exponit, nihil ad veritatem. Polybius Platone deserto hoc modo fere formarum transitiones exponit: Dominus primum rex factus est (c. 5 § 10 — c. 7 § 6): „cum deinde iniustus esse coeperit, perit illud illico genus et est idem ille tyrannus; quem si optimates oppresserunt, quod ferme usuvenit [1])", respublica in eorum ditionem venit (— c. 8 § 4). Sed postquam filii eorum, libidinem suam magis quam civitatis salutem curantes, plebem opprimere coeperunt, exurgit aliquis libertatis vindex, et populus imperium sibi adsumit (— c. 9 § 4), qui dum superiorum calamitatum memor legum religione se obligari patitur, bene utitur potentia; mox insequens aetas, summa licentia assueta, in divites saevire coepit et insolenter se gerit, donec novus exurgat dominus

---

[1]) Cic. Rep. I. c. 42, qui haec e Polybii libro VI sumpsit.

(— c. 9 § 10). Hic est, ait Polybius, orbis quo versantur civitatum genera; hunc ordinem natura instituit, quo varias formas et respublicas formaret mutaret everteret, his bene cognitis aliquis quid cuique civitati futurum sit praedicere poterit, et conicere ad quem gradum civitas pervenerit, quis hunc sit insecuturus. Inprimis de Romana republica iudicare poterimus, cum haec naturae congruenter ab initio orta et aucta sit (c. 9. fin.).

Tanta difficultatum multitudine haec ratio premi mihi videtur, ut omnes enumerare nihil attineat. Cur enim, si initio aliquis dominus adest iis viribus praeditus ut populum ad oboedientiam cogere possit, statuamus talem virum in civitate non aliis temporibus existere posse, veluti dum primores imperent? nam etiam eos hic superare possit. Deinde, num in ulla civitate hunc rerum ordinem fuisse accepimus? Ad Romanam rempublicam semper respexit Polybius; hunc tyranni dominatum post regis imperium collocavit, Tarquinii superbi memor [1]), et eam *τυραννίδα* qualis in multis civitatibus graecis extitit [2]), qua populus ab optimatium dominatione saepe liberatus est, una voce tantum perstringit [3]).

Hic rerumpublicarum motus naturalis, et leges movendi quas indagavisse sibi videtur Polybius, plane commenticia sunt.

---

[1]) Cicero cum vulgo Aristotelis rationem sequatur (cfr. R P. II. c. 26 „hic est enim dominus populi, quem Graeci tyrannum vocant"), uno loco Polybium secutus e regno tyrannidem fieri dicit, I. c. 42; cfr. Pol. VI. c 7 § 8.

[2]) Cfr. Arist. Pol V. c. 9.

[3]) Pol c. 9 § 1. Apud Platonem *τυραννίς* oritur ex nimia licentia et libidine populi, R P. VIII. p 562 sq.; alio loco eam e regno oriri dicit, Polit. p. 291 E.

Praeter haec sex reipublicae genera etiam septimum genus agnoscit Polybius genus mixtum, cuius duo exempla extiterunt reipublicae Lacedaemonia et Romana. Remp. Lac. constare e tribus civitatis generibus mixtis iam multi scriptores ante Polybium praedicaverunt. A Platone Polybius hanc sententiam non sumpsisse apparet; Plato enim, quamquam varias reipublicae Lacedaemoniae partes ita potestate quadam instructas fuisse ait, ut egregie concinerent [1]), seque dubitare confitetur quidnam genus reipublicae resp. Lac. dicenda sit [2]), tamen neque Lycurgo hanc laudem tribuit, neque eodem modo quo Polybius de ea iudicat. Plato enim et tyrannidem propter ephoros, et democratiam et aristocratiam et regnum eam sibi videri ait; Polybius *tria* reipublicae genera in ea agnoscit, regnum, aristocratiam, democratiam. Hanc moderationem Polybius tribuit Lycurgo; idem scripsit Plutarchus [3]); ut supra dixi, utrique auctorem fuisse Ephorum censeo [4]).

Quae de rebus Spartanis scripsit Aristoteles, magna ex parte ab eodem Ephoro didicit; Aristoteles autem etiam has partes in rep. Lac. inesse statuit easdem quas Polybius regnum, aristocr., democr.; duas hac in

---

[1]) Pl. Legg. III p. 691 E. — 692 B.

[2]) Pl. Legg. IV. 712 D. sq.

[3]) Plut. Lyc. c. 7: οὕτω τὸ πολίτευμα τοῦ Λυκούργου μίξαντος — —.

[4]) Non me fugit sagax coniectura Osanni, qua statuit Polybium in his secutum esse auctorem Dicaearchum. Is enim scripsit librum inscriptum τριπολιτικός (Athen. IV. p. 141 A; Cic. ad Att. III. 32), quo egit de rebus Spartanis, et, ut videtur, de moderatione trium reip. generum. (Osann, Beitr. z. Gr. u. Röm. litt. Gesch. II. 1). Eum in rebus geographicis refutavit Pol. XXXIV c. 5; c. 6; c 9. Sed cum quid Dicaearchus de rep Spartana scripserit ignotum sit etiam haec coniectura nimis incerta mihi videtur.

re opiniones exponit, alteram Platonis, alteram eandem quam Polybius, quam ad communem auctorem Ephorum referre non dubito: *ἔνιοι μὲν οὖν*, ait Aristoteles [1]), *λέγουσιν ὡς δεῖ τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐξ ἁπασῶν εἶναι τῶν πολιτειῶν μεμιγμένην, διὸ καὶ τὴν τῶν Λακεδαιμονίων ἐπαινοῦσιν· εἶναι γὰρ αὐτὴν οἱ μὲν* (Ephorus) *ἐξ ὀλιγαρχίας καὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας φασίν, λέγοντες τὴν μὲν βασιλείαν μοναρχίαν, τὴν δὲ τῶν γερόντων ἀρχὴν ὀλιγαρχίαν, δημοκρατεῖσθαι δὲ κατὰ τὴν τῶν ἐφόρων ἀρχὴν διὰ τὸ ἐκ τοῦ δήμου εἶναι τοὺς ἐφόρους· οἱ δὲ* (Plato) *τὴν μὲν ἐφορείαν εἶναι τυραννίδα, δημοκρατεῖσθαι δὲ κατά τε τὰ συσσίτια καὶ τὸν ἄλλον βίον τὸν καθ' ἡμέραν.* Itaque Ephorus hoc statuisse videtur, iam ante ephoros institutos populum aliquid valuisse in republica e legibus Lycurgi, deinde additis ephoris hanc gratiam popularem etiam auctam esse.

Redeo ad Platonis imitationem. Illam sententiam civitatum formas semper eodem ordine recurrere, quin Platoni debeat Polybius non dubito. Exposuit eam Plato in libris de Republica; et minus recte Aristoteles hanc ob rem Platonem reprehendit quod certum orbem non constituerit [2]), nam ordo apud Platonem hic est: I optima respublica, sive regnum sive oligarchia; II *ἐξ ὀλιγαρχίας δημοκρατία γίγνεται, καί* III *ἐκ δημοκρατίας τυραννίς* [3]). Antea autem exposuit Plato optimam rempublicam existere tantum posse e tyrannide, si filii tyrannorum philosophiae apti eaque instructi exurgant quando; itaque e tyrannide oritur optima respublica, et orbem quemdam habemus [4]). — Plato, quippe

---

[1]) Arist. Pol. II. c. 6.

[2]) Arist Pol. V. c. 12.

[3]) Plato Rep. p. 562 A.

[4]) Plato Rep p. 499—503; cfr. Süsemihl ad locum supra adn. 1 laudatum.

qui philosophum se esse profiteretur suo iure hac ratione egit, neque philosophi muneris fines transgressus est, cum nemo melius quam ipse persuasum haberet illam optimam rempublicam qualem informavisset nunquam exstitisse, et totam ratione et mente eam contineri; quaesivit tantum quid fieri posset, quid probabile et optandum esset. Sed Polybius longe a vero deflexit cum affirmaret hunc certum esse rerum publicarum orbem, eumque natura ita esse institutum, denique usu confirmatum [1]). In Polybium etiam rectius quam in Platonem vertere possumus quod Aristoteles vir acutissimus recte in hoc reprehendit „πλειόνων δ' οὐσῶν ὀλιγαρχιῶν καὶ δημοκρατιῶν, ὡς μιᾶς οὔσης ἑκατέρας λέγει τὰς μεταβολὰς ὁ Σωκράτης [2]). Revera Polybius egit quasi eae civitatum formae semper eaedem et constantes fuissent, neque vidit ea nomina complecti innumerabiles civitatum formas, quarum ne binae quidem fere in Graecia similes fuissent.

Deinde hac in re minime sibi constare videtur Polybius, non solum quod septimum etiam civitatis genus inducat, genus mixtum, cui locus non est in illo sex formarum orbe, sed inprimis quod septimum illud genus etiam perniciei non obnoxium esse statuerit. Nam cum alia

---

[1]) Minime assentior v. d. La-Roche (pag. 20) haec dicenti: „Nur dasz scheint seiner Anschauung eigenthümlich und überrascht durch die Tiefe des über antike Geschichtsbetrachtung fast hinausgehenden Gedankens, dasz er diese staatlichen Entwickelungsfasen als schon mehrmals dagewesen und noch künftig bevorstehend annimmt." Et paullo post: „Man wird, um richtig zu urtheilen, in derartigen tieferen politischen und historischen Einblicken (!) nicht etwa intuitive Gedankenblitze eines seine Zeit überragenden Genius erkennen dürfen." Neque ea sententia Polybio propria est, contra Platoni, neque vera est.

[2]) Arist Pol. V. c. 12.

sex genera ita a natura instructa essent ut diu stare non possent sed in aliud transirent [1]), septimum illud sempiternum esse debebat. Hac re optime meritum esse ait Lycurgum, quod tribus generibus in unum fusis remp. Lac. prudenter moderatus esset [2]), quo factum est ut illa per longissimum temporis spatium stetisset et Graeciae principatum tenuisset. Sed illa etiam morbo inveterato, non causa externa absumpta est. Eodem modo respublica Romana quae etiam e tribus generibus mixta est, libera sit necesse est illo morbo (*συμφυεῖ κακίᾳ*) quo illa singula laborant. Eo magis mirum quod Polybius dicit in rep. Rom. considerandam esse vicissitudinem amplificationis, opulentiae, debilitatis quae in illis tribus generibus conspiciatur [3]), ad ea provocans quae modo exposuerat. Sed ipse etiam sensit id minime sufficere, ideoque novam proponit sententiam, quamque civitatem, etiam optimam, aliquando perituram esse, et, nisi iam antea causa aliqua externa ruinam properaverit, fore ut tandem succumbat vitio alicui innato. Hanc sententiam (quae nequaquam certa est) tanquam certissimam et omnibus probatam profert, fretus denuo Platonis auctoritate. Nam is cum de optimo genere reipublicae a Socrate exposito ageret hanc quoque interituram esse dixit:

Pol. VI. 57 § 1: *ὅτι μὲν οὖν πᾶσι τοῖς οὖσιν ὑπόκειται φθορὰ καὶ μεταβολὴ σχεδὸν οὐ προσδεῖ λόγων, ἱκανὴ γὰρ ἡ τῆς φύσεως ἀνάγκη παραστῆσαι τὴν τοιαύτην πίστιν.*

Plato Rep. VIII. p. 546 A: *ἐπεὶ γενομένῳ παντὶ φθορά ἐστιν οὐδ' ἡ τοιαύτη ξύστασις τὸν ἅπαντα μενεῖ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται.*

---

[1]) Polyb. VI. c. 10 § 1—5.
[2]) Ibid. c. 10 § 6.
[3]) Ibid. c. 57 § 3 sqq.

Sed Plato eo accuratius egit Polybio quod illud optimum suum reipublicae genus etiam inseruerit orbi rerumpublicarum, Polybius contra optimum reipublicae genus (genus mixtum) ex eo orbi et motu excluserit.

Ex his recordationibus philosophiae Platonis, admixtis suis opinionibus, Polybius igitur efficere conatus est doctrinam aliquam de rerumpublicarum motu, quae ad remp. Rom. adaptari posset. Haec imitatio Platonis imprudenter facta aliquatenus explicare potest qui factum sit ut Polybius tam longe invitus a veritate aberraverit.

In *Aristotelis* libris legendis parum operae posuisse Polybium iam ex his satis apparet. Eius partes suscepit contra Timaeum de origine urbis Locrorum disputans (XII. c. 5—12).

CAPUT II.

DE ALIQUOT PARTIBUS QUAE AD CERTOS QUOSDAM AUCTORES REFERRI POSSINT.

I. Regnum Romanum.

De imperii Romani incunabilis deque regum temporibus quid tradiderit Polybius, aliquatenus ex ipsius reliquiis vel recentioris aetatis scriptoribus effici potest. Dionysius Halic. antequam ipse sententiam suam de anno quo condita sit Roma enarret et argumentis confirmet, aliorum auctorum ratiocinationes brevi conspectu recenset. His addit: *οὐ γὰρ ἠξίουν ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν, ὅτι „κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδομῆς ὀλυμπιάδος τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι", οὐδ' ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι* (sic Niebuhr pro eo quod in codice erat *ἀγχιστεῦσι*, Röm. Gesch. I. p. 269 adn. 656 [1])) *κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον καταλιπεῖν.* Idem tradit Cic. (de R. P. II. 10): „Nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno Olympiados septimae." — Graecorum annales h. l. sunt libri Polybii, quem antequam Attici annales cognoverat Cicero his in rebus sequi solet: quod l. l. diserte addit c. 14:

---

[1]) Hanc coniecturam ab omni dubitatione satis defendit Peter Hist. Rom. Rell. Lips. 1870 p. XXII. cfr. Schwegler R. G. I. p. 8. 4.

„Sequamur enim potissimum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior."

Annos regum ex eodem Polybio [1]) Cicero exponit hos: Romulo 37 (c. 10); Numae 39 (c. 14); Anco 23 (c. 18); Tarquinio Prisco 38 (c. 20). Deinde c. 15 legimus: „Olympias enim secunda et sexagesima eadem Superbi initium et Pythagorae declarat adventum. Ex

---

[1]) Omnia quae Cicero de regibus tradat, e Polybio sumta esse eo etiam affirmatur quod cum fragmentum Polybii supersit de Lucii rebus agens (VI. c. 2 § 10—15), idem apud Ciceronem latine versum legitur.

P. § 12: τυχὼν τῆς πολιτείας, εὐθέως ἡρμόσατο πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως ἀρέσκειαν. ταχὺ δὲ καὶ διὰ τὴν χορηγίαν καὶ διὰ τὴν τῆς φύσεως ἐπιδεξιότητα, καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἐκ παίδων ἀγωγὴν ἁρμόσας τῷ προεστῶτι, μεγάλης ἀποδοχῆ; ἔτυχε καὶ πίστεως παρ' αὐτῷ. χρόνου δὲ προϊόντος εἰς τοῦτ' ἦλθε παραδοχῆς, ὥστε συνδιοικεῖν καὶ συγχειρίζειν τῷ Μάρκῳ τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν, ἐν δὲ τούτοις ἐπ' ἀγαθῷ πᾶσι γενόμενος καὶ συνεργῶν καὶ συγκατασκευάζων τοῖς δεομένοις ἀεί τι τῶν χρησίμων, ἅμα δὲ καὶ τῇ τοῦ βίου χορηγίᾳ μεγαλοψύχως εἰς τῇ δέον ἑκάστοτε καὶ σὺν καιρῷ χρώμενος, ἐν πολλοῖς μὲν ἀπετίθετο χάριν, ἐν πᾶσι δ' εὔνοιαν ἐνειργάσατο καὶ φήμην ἐπὶ καλοκαγαθίᾳ καὶ τῆς βασιλείας ἔτυχεν.

Cic. c. 20: .... facile in civitatem receptus esset propter humanitatem atque doctrinam Anco Regi familiaris est factus, usque eo, ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur. Erat in eo praeterea summa comitas, summae in omnes cives opes auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas. Itaque mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus.

De Anco fragmentum Polybii (ib. § 9) recurrit apud Ciceronem (l. l. c. 18) ἔκτισε δὲ καὶ πόλιν Ὠστίαν ἐπὶ Τιβέριδος „et ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit.

Hulleman (disput. crit. de ann. max. Amstelod. 1855, cfr. Peter H. R. R. p. IV) suspicatur quidem, multa quae Cic. in libro II. de Rep. habet referenda esse ad tabulam pontificis. Sed quae composui auctorem fuisse Polybium probant, denique Cicero II. 15 diserte inter se opponit annales publicos et Polybium quem sequitur.

quo intellegi, regiis annis dinumeratis, potest, anno fere centesimo et quadragesimo post mortem Numae primum Italiam Pythagoram attigisse; neque hoc inter eos qui diligentissime persecuti sunt temporum annales, ulla est unquam in dubitatione versatum." Verba extrema Polybium designant cui superiore capite Cicero illam diligentiae laudem praeter ceteros vindicaverat. Cicero ait inter annos Ol. 62. 1 — 62. 4 Superbum regnum iniisse, et eodem temporis spatio Pythagoram, 140 annos post Numae mortem, in Italiam venisse. Denique his locis addere debemus c. 30: „His.... regiis *quadraginta* annis *et ducentis* paullo cum interregnis fere amplius praeteritis." Adde fragm. Cic. de Rep. II ap. Non. p. 526 Mercier: „Itaque illa praeclara constitutio Romuli cum ducentos annos et viginti fere firma mansisset", quod spectare videtur ad res novas a Superbo in civitatem illatas aliquot annis postquam regnare coepit; neque numerus mutari debuerat ab interprett. (Mommsen. Röm. Chron. p. 138 adn. 256).

Aliam Polybii temporis definitionem legimus III. c. 22 § 1 sqq. *Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὡράτιον, τοὺς πρώτους κατασταθέντας ὑπάτους μετὰ τὴν τῶν βασιλέων κατάλυσιν, ἀφ' ὧν συνέβη καθιερωθῆναι καὶ τὸ τοῦ Διὸς ἱερὸν τοῦ Καπετωλίου, ταῦτα δ' ἐστὶ πρότερα τῆς Ξέρξου διαβάσεως εἰς τὴν Ἑλλάδα τριάκοντ' ἔτεσι λείπουσι δυοῖν.* Inter reges eiectos et expeditionem Xerxis in Graeciam factam (Ol. 75. 1) 28 annorum intervallum interpositum est; illud igitur factum est Ol. 68. 1, a 508. Huic numero si addimus illos 240 annos amplius per quos regnum Romanum stetisse Cicero e Polybio tradidit, annus urbis conditae evadit 748—749. Ad eundem annum redeunt reliqui numeri quos Cicero tradit. Numa mortuus est 140 annos ante

finem eius Olympiadis qua ineunte Superbus regnum iniit, Ol. 62, a. 533—529. Quodsi computamus 530 + 140 + 39 (Numae) + 37 (Romuli) + 2 annos interregni [1]) obtinemus urbis conditae annum 748. Eundem hunc numerum posuit Fabius, Ol. 8. 1 (Dion. I. 74: — τῆς Ῥώμης οἰκισμὸν .... γενέσθαι φησί .... Κόιντος δὲ Φάβιος κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης ὀλυμπιάδος); itaque in tanta opinionum diversitate tute statuere possumus Polybium eos numeros supra collectos, quos de regum imperiis tradidit quosque a Cicerone cognovimus, e Fabii annalibus hausisse; qua in re praeiit Mommsen (l. l.). Niebuhr qui argumentis ut solet non additis statuit Fabium 240 annos regno Romano dedisse [2]), tamen Polybium nihil dare contendit nisi quod e tabulis pontificum legisset [3]), quod concedere nullo modo possumus. Sed ut cum Fabio, perantiquo rerum Romanarum auctore, egregie haec conveniant, sibi misere contraria statuit Polybius, cum reliquis ratiocinationibus et numeris praemitteret, ὅτι Ol. 7. 2 τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι. E duobus fontibus res contrarias hausit et temere in historiis composuit [4]).

Qua culpa neglegentiae, si ipse etiam nunc causam

---

[1]) Hos duos annos interregni etiam in antiquiore regum recensione adsumendos esse, ut numerus 240 compleatur, et alios ut Diodorum iterum annum unum interregni addidisse, quo fieret ut Romulo 38 anni tribuerentur, cuius erroris apud Ciceronem iam originem videmus cum dicit „paullo cum interregni fere amplius," demonstravit Mommsen R. Chron. p. 140.

[2]) Nieb. R. G. I. p. 280: „Nach Fabius Zeitrechnung zerfällt die Röm. Gesch., von der Gründung der Stadt bis zur Eroberung, in 240 Jahre unter den Königen und 120 nach denselben.

[3]) R. G. I. p. 272.

[4]) Idem fere Mommsen R. Chron. p. 128: Polybius setzt,

suam agere posset, id est si liber sextus etiamnunc totus extaret, aliquatenus certe, credo, levaretur. Persuasum enim mihi est, nullum alium fontem unde res et tempora regni Romani cognosceret nisi Fabii annales ei praesto fuisse [1]); ex his igitur et numeros annorum et res gestas sumeret necesse fuit, nisi ea omittere vellet; deinde cum videret apud pontifices aliam anni urbis conditae computationem obtinere, cui propter auctorum gravitatem maiorem fidem habendam esse putaret, hanc eum iuxta alteram Fabii posuisse, animadversa quidem et notata discrepantia, sed potius re dubia relicta (nisi quod addit, pontificum auctoritatem sibi graviorem videri) quam ut utramque rationem commisceret et aliquot e numeris Fabii paullum mutatis, unam e duobus computationem vi et fraude efficeret. Dionysius haec fere ipsis verbis indicat: postquam enim se certis argumentis prolatis annum urbis conditae constituturum esse professus est, addit: *οὐ γὰρ ἠξίουν ὡς Πολύβιος . . . τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν*, non aequum censui Polybium imitari, qui nihil dicat nisi: tabulae pontificis maiorem fidem habendam esse censeo (*πείθομαι*)", quique cum argumentis vel pro vel contra disputandi

---

offenbar nach Fabius, das erste Jahr der Republik 240 Jahre nach Ol. 68. 1. Et p. 14 (Adn. 261): die Königszahlen, die Cicero nach Polybius angiebt, passen nimmermehr zu dem Gründungsjahre Ol. 7. 2, sondern nur zu Ol. 8. 1. Auch hat Polybius für die Röm. Chron. nachweislich neben der Chronik des Fabius die Pontificaltafel seiner Zeit benutzt." — Dissentit Nitzsch, Rom. Annalistik. p. 224 adn. 3.

[1]) E tabula pontificis eum non didicisse quae de regno Romano tradit, cum ex ipsa tabulae ratione mox ostendam, tum apparet e Cic. de Rep. II. 15. Ibi enim Scipio e Polybio ea de Numa et Pythagora tradit, quae „non satis annalium publicorum auctoritate declarata videret."

aliunde petitis careret (πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου) unicae pontificum auctoritati se dare debuit (τὴν πίστιν ἀβασάνιστον καταλιπεῖν). Quodsi verum est, levitatis culpa in Ciceronem redit, qui non animadverterit se contraria miscere. Fortasse Polybius discrepantiae causam huic rei tribuerat quod pontifices aliquot annos plus interregnis dedisse crederet; hoc Ciceroni male intellectum causa fuisse videtur cur verba illa obscura adderet et quae ita certe non a Polybio oriunda sint: „paullo cum interregnis fere amplius."

De tabula pontificis, e qua liber annalis pontificum ortus est [1]), scripserunt Cicero [2]) et Servius [3]). Pontifex, ait Cicero, solebat quidquid singulis annis gestum erat in album efferre et tabulam domi (in regia ad forum sita) proponere; itaque ex ea cognoscere poterat populus res gestas *superioris* anni; sed Servio ut qui accu-

---

[1]) De reliquis pontificum libris, commentariis, actis, cfr. Schwegler R. G. I. p. 31 sqq. Hulleman l. l. p. 10 sqq. H. Peter H. R. R. I. p. IV. sqq. et qui ab eo laudantur.

[2]) De Or. II. 12. 52 „erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio; cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanorum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex max. efferebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt.

[3]) Ad Verg. Aen. I. 373: Ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueverat et domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies, cuius diligentiae annuos commentarios in LXXX libros veteres rettulerunt eosque a pontificibus maximis a quibus fiebant annales maximos appellarunt.

ratius de hac re agat, maior fides tribuenda esse videtur [1]); is autem dicit tabulam gypso oblitam (dealbatam) et litteris vacuam quotannis anno ineunte a pontifice propositam esse, in quam singulae res, prout earum cognitio Romam pervenerat, per singulos dies a pontifice inscribebantur.

Nova tabula adsumta esse videtur eo die quo novi consules, quorum nomina praescribebantur, magistratum inibant; comitia consularia novissimum locum in tabula obtinebant. Ita enim etiam Livius ubi annales sequitur novi anni initium distinguere solet. Aliorum magistratuum in anni decursu creatorum nomina tum demum cum creati essent addebantur.

Hic mos stabat usque ad P. Mucium Scaevolam, qui consul fuit a. 133, pontifex maximus inter annos 132 quo P. Cornelius Scipio Pont. Max. fuit et post caedem Gracchi in Asiam missus ibi mortem obiit (Plut. Tib. Gr. 21; Cic. in Catil. I. 33), et 114, quo anno L. Metellus pont. max. creatus est [2]).

Tabula quid fere continuerit, a Catone nobis traditum est. Is enim [3]) „non lubet," inquit, „scribere quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine (i. e. lumini) caligo aut quid obstiterit." Praeterea breves de rebus domesticis et externis adnotationes in iis scribebantur; quid in senatu actum esset, relationes magistratuum in senatu factae vel litterae in senatu lectae brevi in iis provulgabantur.

Quaerendum restat, quo anno hic mos tabulae proponendae institutus sit. Sed primum demonstrabimus,

---

[1]) Cfr. Peter l. l. p. XI.
[2]) Cfr. Peter l. l. p. XVIII. et adn. 1.
[3]) Ap. Gell. II. 28. 6. (fr. 77 Peter.).

eos octoginta libros de quibus Servius mentionem facit, non totos fluxisse e tabula. Ac primum quidem ipsas tabulas ligneas omnes ad annum 132 conservatas esse (ab initio urbis iam fere sexcentae extare debuerant), iam nemo contendet. In urbis incendio hae tabulae, si extitissent, etiam deletae essent [1]). Fortasse aliquis coniecerit ab initio inde pontifices quoque anno res in tabula scriptas, antequam eam in tablinum conderent vel delerent, chartis mandavisse (annuos commentarios, ait Servius) et ex his chartis multo post collectis et in lucem editis annales maximos confectos esse. Sane, si verum est annales maximos originem traxisse e tabula, statuamus necesse est rem ita factam esse. Sed alia obstant.

Constat enim, solis defectiones in tabula non fuisse adscriptas ante annum 400. Cic. de Rep. I. 16. 25 „id autem," inquit, „postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit, anno quinquagesimo CCC fere post Romam conditam *Nonis Iunis soli Luna obstitit et nox*. Atque hac in re tanta inest ratio atque sollertia, ut ex hoc die, quem apud Ennium et in maximis annalibus consignatum videmus, superiores solis defectiones

---

[1]) Livius eas tunc perisse tradere videtur (VI. c. 1 § 2 sq.): „resvetustate nimia obscuras — — quod, etiamsi quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraque interiere." Multi viri docti censent, aliquot res e primis reipublicae seculis vere nobis traditas esse, sed in auctoribus harum traditionem dissentiunt. Niebuhr et Schwegler statuunt eas servatas esse singulis annalibus et commentariis gentiliciis. Schwegler R. G. II. p. 2 sq.: „Wohl aber scheint nicht lange darauf (post Porsennam) der Anfang mit historischen Aufzeichnungen gemacht zu sein." Mommsen censet eas cum fastis capitolinis coniungendas esse. Cfr. Nitzch. Röm. Ann. p. 204.

reputatae sint usque ad illam, quae nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo." Zechius, cui consentit Mommsen [1]), ostendit cogitandum esse de solis defectione anni 400. Ex hoc Ciceronis loco sequitur, annales quos videbat Cicero, circa illum annum 400 a. C. demum defectiones solis tradere coepisse superioribus omissis; nam si in annalibus etiam superiores solis defectiones essent adscriptae, cur Cicero has reputatas esse, illam a pontificibus a. 400 observatam esse et ita in annales pervenisse credidisset? sine dubio ne his quidem fidem recusavisset [2]). Sed etiam e verbis Ciceronis apparet, ante annum 400 tabulam pontificis nondum inscriptam fuisse solis et lunae defectionibus, id est secundum id quod de ea scripsit Cato, tabulam nullam extitisse.

Cum his convenit prodigia non ab initio inde urbis in annalibus maximis tradita fuisse, sed hunc morem a. 249 a. C. demum institutum esse, ut antea statuerat Mommsen, nuper certius etiam demonstravit Bernays [3]).

---

[1]) Röm. Chron. p. 202 adn. 392.

[2]) Cfr. de hoc loco quae scripsit Karsten in Mnemosyne 1873 p. 193 sq.

[3]) Rhein. Mus. 12 p. 436 sqq. Prodigia Romae nuntiata scripsit I. Obsequens, ab anno urbis quingentesimo quinquagesimo quinto prodigiorum liber. Mommsen cum statuerit Obsequentem totum a Livio pendere, coniecerat Livium in secunda decade tradidisse, ab eo anno inde publice prodigia observata et memoriae tradita esse. Sed cum tribus locis Obsequens paullum a Livio discreparet, (Obs. c. 3 — Liv. XXXIX. 22; Obs. c. 6 — Liv. XI. 29; Obs. c. 7 — Liv. XI. 45), Bernays statuit utriusque narrationes ex eodem fonte fluxisse, ex annalibus maximis. — Nitzsch, Röm. Ann. p. 240, ob hanc causam statuit morem tabulae publice proponendae anno 249 demum institutum esse. Schwegler (II. p. 2 sq.) id definiri posse negat cum nihil de ea re traditum extet.

Apparet igitur non diu ante incendium (circa 400) tabulam primam a pontificibus esse propositam; eam postea aliis rebus auctam esse, ut censuum numeris (Mommsen R. G. p. 95 et 423 sq.), prodigiis.

Annales maximos contra ad initium urbis ascendisse ait Cicero, qui eos saepe consuluit: „*ab initio rerum Romanarum* usque ad P. Mucium." Eodem auctore inerant *res omnes* singulorum annorum. Deinde Aurelius Victor (o. g. Rom. 17) dicit de regibus Albanis: „ut scriptum est in annali pontificum quarto." Regnum Romuli, interregnum post huius mortem initum (Vopisc. vit. Tac. 1. 1) in iis narrabatur.

Statuendum est has res multo antequam edebantur, inter annos 350—300 [1]) esse conflatas vel certe litteris mandatas, et id quidem, ut videtur maximam partem ex eodem fonte e quo etiam Fabius multa hausit, e traditione populari. Sed etiam aliud quasi fundamentum pontificibus erat, quod ita expleverunt et auxerunt ut nunc fere per annalium scriptores ad nos pervenit. Fuit hoc fundamentum recensus nominum consulum iam ante quotannis litteris mandatus.

Is recensus nominum consulum, antiquissimum monumentum rerum olim memoriae traditarum, in templo Capitolino servabatur; id non solum eo probatur quod in incendio urbis servati sunt fasti consulares, sed etiam quod aliae res ad Capitolium pertinentes in iis tanguntur, dictatores ab a. 463 (a. 363 et 263) clavi figendi causa creati, denique quod temporis computandi

---

1) Mommsen Röm. Gesch. I. p. 461: cfr. Röm. Chron. p. 209 sq. — Höchst wahrscheinlich fällt in dieselbe Zeit (350—300) die älteste Redaction der offiziellen Pontificalchronik, durch welche wo nicht die Erzählung von den sieben Königen, doch deren Regierungszeiten festgestellt wurden."

ratio apud antiquos Romanos deducitur a templo Capitolino dedicato (Mommsen R. G. ed. 6 I. p. 459 sq.).

Praeter hos fastos consulares fuerunt fasti calendares, qui ad munus pontificum pertinuisse videntur (hemerologia) quod verisimile est cum sciamus pontifices potissimum peritos fuisse coeli demetiendi rationis; eosdem antiquis temporibus, populo in Capitolium convocato, uniuscuiusque mensis kalendis nonas, nonis ferias regis sacrificuli iussu calavisse, et anno 191 pontificum arbitrio ex M.' Ac. Glabrionis lege intercalandi rationem, cuius scientia etiam usque ad I. Caesarem penes eos solos fuerit, permissam fuisse [1]). Cum his fastis calendaribus coniunctos fuisse fastos consulares consentaneum est. Hi autem cum a. 390 incendio essent deleti, e fastis capitolinis, qui supererant et quorum varia exemplaria etiam nunc aliquot nobis praesto sunt, restituti esse videntur. In communem usum autem iam antiquitus fasti a pontificibus publice expositi sunt, cum cognitione horum fastorum menstruorum (calendarium hemerologiae) et annuorum (consularium) ordo ratioque vitae civium, iuris, commercii tota contineretur. — Habebant igitur pontifices conspectum consulum qui olim in Capitolio servari coeptus erat; hunc iam antiquitus brevibus adnotationibus ad singulos annos adscriptis instruxerant auctores [2]); hoc modo, ut videtur, cognitio illius solis defectionis anni 400 in annales maximos pervenisse videtur. Paullo post ad fastos

---

[1]) Hac ratione Peter (Hist. R. R. p. VIII) confirmat coniecturas Mommsenii (R. Chron. p. 106 et 209), quas probavit Huebner (die ann. max. der Röm. Jahns Jahrb. 79. 1859) p. 410.

[2]) Mommsen R. Gesch. p. 461 (ed. VI.) affert exempli gratia tabulas paschales (Ostertafeln), e quibus libri annales medii aevi profluxerunt.

calendares plures res adscriptae esse videntur; denique illa tabula pontificum omnes res quas cives cognoscere expediebat in publicum edere coepit.

Itaque in tablino pontificis adfuisse tempore Polybii (150) apparet: primum aliquot commentarios fortasse circa a. 300 conscriptos qui narrabant res gestas a regibus Albanis inde et initio nominis Romani, qui etiam continebant antiquissimos fastos consulares cum brevibus adnotationibus interdum antea adscriptis, usque ad eum annum quo pontifex res sui temporis continua serie adnotare inceperit (quod plene factum esse cum prodigiis, anno demum 249 ostendimus); deinde exemplaria tabularum (quae etiam commentarios Servius vocat), ab eo anno quo institutus est mos tabulae proponendae usque ad annum quo Polybius Romae degebat a pontifice expositarum. Haec fuit materies annalium maximorum circa 130 post Polybii mortem editorum.

Hinc ad Polybium reversis tandem nobis explicandi copia est quid significent verba: „ἀπὸ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος." Omnia vetant credere, hanc *tabulam*, *πίνακα*, esse commentarios illos quibus de initio rerum Romanarum agebatur fictos quidem, neque rebus quas narrabant aequales, sed tamen vetustate quadam iam aliquam auctoritatem nactos, quos pontifices in templo servabant. Primum enim qui fieri potuit ut Polybius illis „annosis voluminibus vatum" *πίνακος* nomen dedisset, id est tabulae ligneae? Deinde falleret qui putaret in his commentariis ad certum aliquem annum adnotatum fuisse, Romam tum esse conditam. Olympiadum enim usus sine dubio ab iis alienus erat. Igitur necesse fuisset ut Polybius magno cum labore eos commentarios perlegisset, ut indagaret quot annos ante eum annum quo ipse commentarios

inspiceret, pontifices Romam conditam esse statuerent. Sed nihil horum verum est. Contra apparet τὸν παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι πίνακα nihil aliud esse nisi tabulam dealbatam et illam quidem quam pontifices in regia ad forum sita exposuerant eo anno quo Polybius Romae primo degebat [1]). In ea tabula praescripta erant nomina consulum, sed necesse est ut statuamus etiam tabulae inscriptum fuisse numerum annorum qui ex pontificum computatione (iam circa a. 300 facta) post U. C. praeterierant. Polybius nunquam pervenit in tabularium ipsum pontificum; res regni romani e Fabio cognovit; tantummodo animadvertit rationem quae tunc Romae vigebat, quam e tabula cognoverat, a Fabii ratione paullum discrepare; addidit pontificum auctoritatem maiorem sibi videri quam Fabii. — Deinde sequitur ex his, Romanos iam Polybii tempore interdum, pontifices certe, ab anno urbis computavisse; antequam illi commentarii confecti erant, temporum ratio a regibus exactis vel potius a templo Capitolino dedicato repetebatur [2]). Denique addo Catonem eodem modo tabulam illam designare (verbis supr. laud.); annalium maximorum nomen non ante 130 usurpatum est.

II. Fabius et Philinus.

De gente Fabia, de vita Q. Fabii Pictoris, de locis unde quod ad eius vitam et scripta attineat aliquid cognitum habemus collectis et dispositis disputaverunt

---

[1]) Dissentit Peter H. R. R. p. XXI.

[2]) Paullo aliter Mommsen R. Chron. p. 197: „die ältesten ausdrücklich darauf (auf dem Jahre der Stadtgründung) gestellten Jahrzahlangaben möchten die der Chronisten aus der ersten Hälfte des 7 Jahrhunderts Piso, Cassius, Hemina und Gellius sein."

alii [1]) neque mihi est quod ad res ab iis expositas addam; satis habebo locos nunc brevi composuisse. Stipendia meruit Fabius cum a. 225 in bello cum Gallis gesto (Fab. fr. 23 c. Peter) tum in bello cum Ligustinis gesto (fr. 24 Peter e Plinio); de his triumphatum est annis 233 et 223, sed quo anno adfuerit Fabius dubium est. Post cladem Cannensem a. 216 Delphos ad oraculum missus est (App. Hann. c. 27), cuius rei Livius, fortasse ipsis Fabii verbis, mentionem facit XXII. 57 § 5, XXIII. 11 § 1—5. Senatorem eum fuisse iam initio belli Hannibalici docet Polybius III. c. 9. Fabius antiquissimus scriptor vulgo dicitur cum a Livio (I. 44 § 2, II. 40 § 10) tum a Dionysio (I. 6; VII. 71). E fragmentis apparet eum historiam repetivisse ab Euandro Aeneaque, et in bello Hannibalico Appianus et Polybius eum auctorem laudant. Fabium Graeco sermone usum esse constat, (Civ. de div. I. 21. 43, Dion. 1. 6); quae e Fabii annalibus decerpta et latine scripta nobis servaverunt Servius, Nonius, Quinctilianus, ad historias latine scriptas pertinere videntur, quarum auctor fortasse fuit Ser. Fabius Pictor [2]), quem oratorem et litterarum et antiquitatis bene peritum fuisse ait Cicero (Brut. 21. 81), vel alius quis e gente Fabia.

Historias Fabii non secus ac Cincii similes fuisse annalibus Graecis (*ταῖς ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις*) ait Dionysius, et paullo ante (I. 6) dicit eos cum Timaeo Polybio Sileno multis aliis eodem vitio laborare, quod rebus antiquioribus non bene exploratis acquieverint in traditionibus quae forte fortuna ad eos pervenissent.

---

[1]) G. N. du Rieu disputatio de gente Fabia, Lugd. Bat. 1856. De Q. Fabii scriptoris vita et scriptis Peter in prolegg. p. LXIX — C, qui etiam commentationes antea de eodem scriptas cum cura recenset.

[2]) Cfr. du Rieu p. 201 sqq.; Nieb. Vorles. I. p. 27.

Hoc etiam de Fabio et Cincio praecise testatur, eos accurate quidem exposuisse res suo tempore gestas, sed breviter percucurrisse veterem memoriam inprimis tempora regum et antiquae reipublicae [1]). Illud neglegentiae crimen a Dionysio iis obiectum silentio praetermittere licet — nam unde Dionysius vera cognoscere potuisset? Ex his verbis id tantum efficere possumus, in prima parte librorum ad singulos annos Fabium brevi adscripsisse res quoque anno gestas. Sed fallitur, opinor, qui ex his statuat Fabii libros omnes et omnibus locis illam annalium exilitatem prae se tulisse. Contra fragmenta indicant eum de nonnullis rebus satis prolixe egisse, neque res leviores accurate exponendas sprevisse; et, ut de rebus Amulii et Sylviae continuam et copiosam narrationem eum dedisse apparet ex ipso Dionysio [2]), sic eum in ea quoque annalium parte qua

---

[1]) Dion. I. 6 § 18 τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος (Φάβιος καὶ Κίγκιος) οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δ᾽ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν. Non opus esse mihi videtur coniectura Hullemanni p. 71 „τά τε μετὰ τὴν κτίσιν" (du Rieu p. 156 coniecit τὰ κατὰ τὴν κτίσιν, quod minus probandum esse mihi videtur). Dionysius postquam omnino posuit τὰ ἀρχαῖα rem etiam magis definit addens qua in parte id praesertim appareat, in rebus regni Romani.

[2]) Dion. I. 79 res Sylviae enarrans ait eatenus plerosque auctores inter se consentire (Fabium, Cincium, Catonem, Pisonem, alios) nisi quod aliorum magis ad fabulas (τὰ μυθώδη) inclinent animi, alii ad res certas tradendas, οἱ μὲν ἐπὶ τὸ μυθωδέστερον, οἱ δ᾽ἐπὶ τὸ τῇ ἀληθείᾳ ἐοικὸς μᾶλλον ἀποφαίνουσι; in quibus verbis, quae ad totam illorum scriptorum scribendi rationem spectare videntur, haec sententia inesse mihi videtur, alios saepissime longiores magis fabulosas narrationes annalibus inseruisse, alios quamquam continuis narrationibus non plane spretis, vulgo constantem annalium rationem secutos, ad singulos annos res gestas brevi et circumcise adscribere solere.

res reipublicae enarraverit interdum relicta exili ratione annalium continuas narrationes inseruisse credo, nempe iis locis, quibus, a fonte praecipuo degressus, aliunde res memoria dignas assecutus esset.

Iam de fontibus quibus usus esse videtur Fabius, brevi exponendum mihi est. In enarrandis initiis urbis et nominis Romani fere omnes antiquissimi auctores Romani ita raro inter se dissentiunt, vulgo concinunt et a graecorum traditionibus [1]) plane diversi sunt, ut statuere liceat omnes eos auctores, Fabium (quocum reliquos ita consentire tradit Dionys. I. 79 ut eos omnes ex illo hausisse credat, ᾧ... οἱ πλείους ἠκολούθησαν) Cincium, Ennium, quibus addendi sunt annalium maximorum auctores pontifices, secutos esse famam popularem, quae Romae orta et per multos annos aucta et amplificata usque ad illud tempus quo primum res gestae litteris mandatae sunt, solum in oribus virorum vivebat, et fabulis, quae cum variis monumentis, locis, arboribus, caeremoniis aliis rebus coniunctae erant, ditata, antiquitus percrebruerat. Quod Plutarchus (Rom. c. 3 et c. 8) narrat, Fabium eas traditiones hausisse e libris Dioclis Peparethii, iam refutavit Schwegler [2]); Plutarchus credo sive suam, sive alius cuiusdam ea in re coniecturam proposuit, cum putaret Dioclem primum conditionem urbis enarravisse (ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν). In ea parte operis, qua res a regibus exactis usque ad bellum Gallicum anni 219 gestas descripsit Fabius, interdum fons ei fuit tabularium gentis suae, tituli imaginum, laudationes [3]) in eo reposita; non secus atque reliqui rerum Romanarum

---

[1]) De quibus cfr. Mommsen R. Gesch. I. p. 465—468.
[2]) I. p. 412 sqq. Cfr. Peter l. l. p. LXXXI.
[3]) Cfr. Liv. II. 47. 11. Plut. Fab. 1 Collato Liv. XXII. 31 § 11.

scriptores gentis suae gloriam augere studebant prolatis traditionibus quas e tablino gentis suae prompserant [1]), sic non frustra per totum tempus reipublicae Romanae nomen Fabianum toties recurrit summis de patria meritis fulgens. Ex eo tablino, credo, inprimis eas narrationes longiores [2]) quas dixi, de proeliis, victoriis, aliis rebus ab avis suis gestis deprompsit.

At fieri non potest quin alius etiam fuerit Fabio fons, quem illis rebus e gentis suae tablino petitis explerit quidem, sed qui tanquam fundamentum ei esset totius operis, et unde ratio brevis et exilis annalium ad eum perfluxisset. Annales maximos fuisse hunc fontem, ut censet cum aliis Peterus [3]), iam ideo negandum est, quod ei nondum in lucem editi erant cum Fabius scriberet. Sed ne id quidem probabile videtur, eum adiisse commentarios illos de quibus dixi, a pontificibus tum servatos. Regum tempora Fabius ipse plenius enarravisse putandus est quam ei libri; certe ex eodem fonte, traditione populari eadem petere potuit. Quae ex temporibus reipublicae continebant ei commentarii, plerumque res sacrae fuisse videntur, quae exilem materiem praeberent rerum gestarum scriptori, quam vix e magna mole eruere et conquirere potuisset [4]). Eandem ob causam tam pauca annalium maximorum nunc extant apud Romanos auctores testimonia.

Sed fasti consulares Fabii tempore iam in lucem

---

[1]) Liv. VIII. 40 § 4.

[2]) Cfr. Schwegler I. p. 15: „Ebenso scheint der unverhältnissmässig ausführliche Bericht, den Livius im zehnten Buch über die Feldzüge des Q. Fabius Maximus Rullianus giebt, aus Familien-Aufzeichnungen geschöpft zu sein.

[3]) l. l. p. LXXXII.

[4]) Cfr. Schwegler II. p. 8.

editi erant [1]; ad eos, ut supra exposuimus, iam antiquitus cum in templo Capitolino servarentur, breves adscriptae erant adnotationes, quibus res gravissimae quae singulis annis accidissent memoriae servarentur. Eaedem adnotationes erant etiam pars, et quidem pars gravissima quamquam minima, annalium maximorum qui postea editi sunt. Iamvero eodem modo aliae traditiones servatae sunt, ubicumque nomina magistratuum quotannis in conspectum conferri solebant, quod fiebat:

I. In templo Iunonis Monetae [2]; hos libros linteos qui in eo templo in arce Capitolina servabantur, ad tempus ante urbis incendium ascendisse ostendit Liv. IV. 7 (a. 444); IV. 13 (a. 439); IV. 20 (a. 428); IV. 23 (a. 424). Iis Licinium Macrum usum esse ait Livius IV. 20.

II. In templo Cereris ad forum boarium; ibi erat quasi sacrarium plebis vel potius tribunorum et aedilium plebis [3]; et anno 449 mos institutus est (Liv. III. 55) ut senatus consulta in aedem Cereris ad aediles plebis deferrentur; itaque ab aedilibus etiam librum annalem

---

[1]) E probabili coniectura Mommsenii (vid. Cic. pro Mur. 11. 25; ad Att. 6. 1. 8; 18; Gell. 7. 9 alios) Röm. Chron. p. 210 sq.; qui postquam ostendit Flavium fastos calendares in lucem edidisse ita pergit: bei der engen Verbindung, in der Tag- und Jahrtafel mit einander standen, ist wahrscheinlich auch die Eponymenliste ein Theil des flavischen Rechtsbuchs gewesen, und durch dieses zuerst dem Publicum überhaupt zugänglich geworden."

[2]) Quod dedicatum est a. 346 a. C., vid. Becker Röm. Alterth. I. pag. 409, Liv. VII. 28. Libri lintei aut antea in alio loco servati, aut fortasse eo anno demum confecti sunt. Cfr. etiam Schwegler p. 17.

[3]) Cfr. Preller Röm. Myth. p. 432 sqq. Schwegler II. p. 255 et 278 sq.

esse confectum coniecit Nitzsch, qui copiose quae res iis curae fuerint exposuit, et indicavit vestigia eorum laboris in multis rebus a Livio traditis libr. II—X; eo libro annali usum esse Fabium statuit; Diodorum autem usum esse conicit [1]) libro annali quodam e fastis consularibus derivato, una cum fastis edito, quos edidit, ut modo exposui Cn. Flavius a. 304 a. C.

Praeterea etiam annales privatos adfuisse et in incendio urbis servatos esse credibile fecit Niebuhr, qui statuit Fabium ex iis hausisse [2]); Livius VI. 1 annales eiusmodi fortasse indicat cum memoret praeter pontificum commentarios „alia monumenta", quamvis ille ea periisse tradat. Ad hoc genus pertinent quas Polybius vidit χρονογραφίαι parietibus inscriptae [3]); tituli imaginum, laudationes, in tablinis gentiliciis abscondita.

Varias composui virorum doctorum sententias, de quibus iudicium ferri nequit, nisi quis diligenter ut Nitzsch facere instituit traditionum quae supersunt genera et partes inspexerit et distinxerit [4]). Id tandem probabile facere studui, Fabio et fortasse etiam aliis rerum Romanarum auctoribus praesto fuisse annales (adnotationes) quibus res aliquot priscae reipublicae Romanae ipso fere quo gestae erant tempore non sine fide

---

[1]) Nitzsch, Röm. Annalistik p. 209—219. Neque argumenta neque vero eius egregriam expositionem h. l. repetere possumus; alia vere ab eo exposita, alia nimis temere coniecta mihi videntur.

[2]) Niebuhr Röm. Gesch. II. p. 4 „das sind nun ursprüngliche Annalen, unabhängig von denen der Pontifices entstanden und von vielen verschiedenen angelegt; cfr. etiam Schwegler p. 12 sqq.

[3]) Polyb. V. 33: οἱ τὰ κατὰ καιροὺς ἐν ταῖς χρονογραφίαις ὑπομνηματιζόμενοι πολιτικῶς εἰς τοὺς τοίχους.

[4]) Nunc etiam addere possumus: Max Zoeller Latium und Rom. Leipzig, Teubner 1878.

memoriae traditae essent. Eae traditiones „authenticae" sane parvum locum occupant in libris Livii aliorumque qui nobis supersunt; numquid praeter ipsa nomina magistratuum eiusmodi fontibus adscribi possit, paullo post explicabimus.

De *Philini* Agrigentini opere nihil nobis innotuit nisi quod e locis Polybii I. 14; I. 15; III. 26 effici possit. In secundo libro egit de causis belli Punici primi et foedere a Romanis violato. Dubium est utrum haec eo loco primum narraverit et in superiore de rebus antea gestis egerit, an ea repetiverit e priore libro. Illud probabile videtur, quia in initio libri secundi, quo etiam ipsam propriam narrationem exorsus est (P. I. 15 § 1: *Φιλῖνος ἀρχόμενος ἅμα τῶν πραγμάτων καὶ τῆς δευτέρου βίβλου*) primum narrare instituit obsidionem Messenae ab Hierone factam. Primum librum datum fuisse suspicor narrationi conditionis urbis Carthaginiensis et rerum deinceps gestarum, ita ut ea tanquam praeparationem praemisisset. E Diodoro discimus bellum primum Punicum ab eo copiose esse narratum. Polybius I. 57 omittit narrationem praeliorum quibus Poeni in Heircta inclusi cum Romanis quotidie manus conseruerunt: *τὰς μὲν γὰρ αἰτίας ἢ τοὺς τρόπους, δι' ὧν ἀνὰ ἑκάστην ἡμέραν ἐποιοῦντο κατ' ἀλλήλων ἐνέδρας, ἀντενέδρας, ἐπιθέσεις, προσβολάς, οὔτ' ἂν ὁ γράφων ἐξαριθμούμενος ἐφίκοιτο, τοῖς τ' ἀκούουσιν ἀπέραντος, ἅμα δ' ἀνωφελὴς ἂν ἐκ τῆς ἀναγνώσεως κρίνοιτο χρεία."* Ex his cognoscere mihi videor Polybium si voluisset plus de eis proeliis scribere potuisse, quamquam ne Philinus quidem ea omnia plene enumeravisset. Sed e Philino didicit quotidie fere ibi pugnatum esse, et is certe aliquot proelia prolixius enarraverat, quod Polybius pro proposito suo non operae esse duxit.

Fabius et Philinus autem saepissime diversa tradunt,

quin etiam fere nihil inter eos convenit. Inter hos igitur Polybio optio facienda erat. Itaque eam legem secutus quam in eiusmodi rebus sibi proposuerat, ex ipsis rebus traditis indagare studuit num verae esse possent. Atqui hae res fraudis notam prae se ferre videbantur:

Milites Hamilcaris qui Heirctam tenebant, post victoriam Lutatii decessisse tradiderat Fabius [1]) fractis animis et corporibus enervatos (ἀδυνατοῦντας καὶ περικακοῦντας). Sciebat Polybius eosdem illos milites stipendiarios, cum paullo post in Africam essent traducti, bellum suscepisse quo Poenis gravissima negotia exhiberent et Carthagini etiam interitum minarentur. Praeterea cognoverat Hamilcaris magnum animum, qui etiam post Lutatii victoriam in bello perseverare animam induxisset (Phil. ap. Diod. XXIII), summamque eiusdem rei militaris peritiam qua in Heircta inclusus et quotidie utrimque a Romanis lacessitus se defendit. Hae res tales erant ut ipsae Fabii iudicium diluerent.

Causam belli Punici secundi fuisse tradiderat Fabius [2]), praeter iniuriam Saguntinis illatam, avaritiam et imperandi cupidinem Hasdrubalis, qui omnium bonorum et senatus auctoritate spreta primum in Africa rerum potiri conatus esset, mox in Hispania res e libidine sua administrasset, et Hannibalem procacitatis suae haeredem reliquisset. Eum autem bellum movisse dixerat, nullo bono probante eius consilia. De Hasdrubale numquid veri tradiderit Fabius infra exponemus; Polybius illud de Hannibale evidenter falsum esse contendit; quidni enim Carthaginienses, si omnibus infestus erat, eum tradiderunt cum postularent legati

[1]) P. I. 58 § 5.
[2]) P. III. c. 8 sq.

Romani? Hoc omnibus legentibus evidens esse putat. — Rationem Polybii parum probo. Res per se neque evidens neque vera; etiamsi nemo ex bonis (οὐδεὶς τῶν ἀξιολόγων) probavit Hannibalis consilia, tamen factum esse potest ut pessimi qui ea probarent postea magis in civitate valerent. Sed hanc culpam admisit Fabius quod agnoscere noluit vel non potuit, iram et odium Poenorum iustum et legitimum esse post furtum Sardiniae; denique quod eos cives Carthaginienses probos et bonos vocat, qui pacem cum Romanis servari studerent, et levitate vel avaritia ducti civitatem suam macrescere et extingui paterentur.

Philinus [1]) perfidiae Romanos insimulaverat, quod cum foedus vetaret ne Siciliam attingerent, iusiurandum violassent exercitu in Messanam traiecto. Acerbe in eum invehitur Polybius, postquam ipsis foederibus prolatis nihil eiusmodi pactum fuisse ostendit. Culpa Philini nobis ideo levari videtur quod certe traditionem quae a Carthaginiensibus ferebatur secutus est, quae eadem fere Romae extabat [2]), neque eum mali doli accusare debuit Polybius (§ 3 πόθεν ἢ πῶς ἐθάρρησε γράψαι).

Deinde Philinus tradiderat (P. I. 15) Romanos navi-

---

[1]) P. III. 26 § 3: διότι Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις ὑπάρχοιεν συνθῆκαι, καθ' ἃς ἔδει Ῥωμαίους μὲν ἀπέχεσθαι Σικελίας ἁπάσης, Καρχηδονίους δ' Ἰταλίας.

[2]) Servius ad Verg. Aen. IV. 628 (Mommsen R. Gesch. I. p. 415 ed. VI. hunc locum primus attulit): „quia in foedere cautum fuit ut neque Romani ad litora Carthaginiensium accederent neque Carthagienses ad litora Romanorum —— propter illud quod in foederibus sancitum erat ut Corsica esset media inter Romanos et Carthaginienses." Philino et Servio fidem esse habendam contra Polybium statuit H. Nissen, die Röm. Karth. Bündnisse, (Neue Jahrb. für Phil. 1867 p. 321—332).

bus in Siciliam transgressos illico Hieronem qui Messanam obsideret adortos, magno suo detrimento esse repulsos, mox eos Poenorum copias agressos iterum haud parva clade profligatos esse; Hieronem deinde subito castris igne deletis praecipite fuga Syracusas petivisse, oppidis circa Messanam sine praesidio relictis; etiam Carthaginiensium copias castris desertis in urbes circumiacentes dispersas esse, et duces Poenorum, cum vidissent copias metu captas esse, sibi persuasisse ut ne pugnam consererent; Romanos deinde agris passim vastatis ipsas Syracusas oppugnavisse; *ταῦτα δ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τῆς πάσης ἐστὶν ἀλογίας πλήρη, καὶ διαστολῆς οὐ προςδεῖται τὸ παράπαν.*

Polybius non satis aeque cum Philino egisse videtur. Zonaras [1]) memorat victoriam Hieronis quam deinceps sequitur clades: *τὸ μὲν τῶν Ῥωμαίων ἱππικὸν ἐλαττώθη, τὸ δ' ὁπλιτικὸν ὑπερέσχε. καὶ ὁ Ἱέρων τότε μὲν εἰς τὰ ὄρη, ἐς δὲ τὰς Συρακούσας ὕστερὸν ἀπεχώρησεν.* Diodorus (e Philino) causam dat cur Hiero tam subito fugerit, scilicet quod metueret perfidiam de parte Poenorum [2]). Polybius aliquot res e Philino omisisse videtur, quibus servatis illa *ἀλογία* diminuta esset. Denique ipse paullo post (I. 16. 9) tradit Romanis his conditionibus cum Hierone conventum esse de pace, ut 600 talenta penderet, et *captivos sine pretio redderet.* Unde Hiero captivos Romanos habuit, nisi proelio aliquo vel proelii parte vicit?

Denique Philinus omnes res a Carthaginiensibus

---

[1]) VIII. c. 9 Dionem Cassium (quem Zonaras exscripsit) hoc loco Diodorum secutum esse contendit I. Neuling (de belli punici primi scriptorum fontibus Gott. 1873 p. 21 sq.) Quodsi verum est, res ad Philinum redit. Zonaras etiam transitum Romanorum in Siciliam σπονδῶν διάλυσιν fuisse dicit (VIII. 9), non secus atque Philinus.

[2]) Diod. XXIII. c. 3.

gestas tanquam prudenter, pulcre, fortiter actas efferebat, Romanis hanc laudem detrahebat; Fabius contra Romanos laudibus extollere solet, Poenos contemnere. Consulto eos mentitos esse non contendit, sed inquit, uterque amanti simile quid pati mihi videtur [1]); hoc vitio laborant

.... amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae [2]).

Cum de Fabio tum de reliquis rerum romanarum scriptoribus ea quae aliunde nota sunt hoc iudicium satis probare videntur. Nam ut his quidquid reipublicae bono usui accidit sanctum et iustum, quidquid contra rempublicam factum est nefarium videtur, sic Fabium praeterea etiam gentis suae gloriam in annalibus aliquantum ultra quam iustum sit extollere nunc apud omnes constat [3]).

III. Bellum Punicum primum.

Omnia quae de hoc bello nobis tradita supersunt, ita distingui posse videntur ut referantur aut ad traditionem veterem Romanam aut ad traditionem Carthaginiensem, aut ad traditionem Romanam recentiorem et parum fidam. Itaque alii [4]) omnibus huius belli auctoribus

---

[1]) P. I. 14.

[2]) Hor. Sat. I. 3. 58 sqq.

[3]) Quae contra Polybium minus constanter scripsit Peter Hist. R. R. p. LXXXV. iam satis refutaverunt Nitzsch (Röm. Ann.) et Neuling (l. l. p. 9).

[4]) I. Neuling in dissert. cum cura scripta quam modo laudavi. Ab eo dissentio de auctoribus Diodori. Cfr. etiam Michaelis, quaestiones de bello Punico primo, Trai. ad Rhen. 1846.

diligenter comparatis, de eorum fontibus exposuerunt, et priorem traditionem ad Fabium, secundam ad Philinum (qui etiamsi Carthaginiensis non erat, tamen hoc bellum e fontibus non Romanis et e parte Carthaginiensium descripsit), tertiam ad Valerium Antiatem [1]), (cui accedunt Tuditanus, Tubero alii) rettulerunt.

Philini nomen tribus locis a Diodoro laudatum est (XXIII. 8 § 17; XXIV. 11 § 1; XXIII. 18 § 1 e coniectura pro Philistus). Vulgo ex iis efficiunt, quibus Niebuhrii et Mommsenii auctoritas sufficit ut credant Diodorum Fabii annalibus apprime usum esse, Diodoro etiam ut Polybio hos duo solos auctores fuisse Fabium et Philinum. Sed de illo vehementer dubito [2]). Quatenus traditio manca iudicandi copiam praebet, Diodorus fere Philinum, aliquot locis Polybium secutus est.

Multas enim res quae prospere evenerunt Poenis, male Romanis, sedulo ab eo enumeratas legimus: XXIII. 3 (a. 264) Egestam frustra obsessam et multos milites Romanos necatos esse; ib. 18 § 2 (a. 255) Agrigentum a Cathalone captum; ibid. 9 § 4 aliquot urbes quas Polybius a Romanis captas esse tantum tradit, antea ab Hamilcare (a. 261—259) esse expugnatas praemittit D.; XXIII. 4 § 2 (a. 263) ab Adrano et Macella Romani ἀπῆλθον ἄπρακτοι; ibid. 9 § 3 (259) a Mytistrato ἀνεχώρησαν ἄπρακτοι; § 4 Hamilcar ad Thermas Romanos profligavit καὶ ἀπέκτεινεν — παρ' ὀλίγον δὲ ὅλην τὴν δύναμιν; ib, 8 § 3 (262) dolum Hannonis tangit, quo is et copiis conductis seditiosis et hostibus nocuerit. Mentionem facit Diodorus rei in γερουσίᾳ Carthagine actae (a. 256), ib. c. 10 § 1. Vehe-

---

[1]) Cfr. Plin N. H. XXII 6 et auctorum indicem libri XXI. sq. Neuling p 35.

[2]) Mecum faciunt Nissen l. p. 68 adn. 2 l., Nitzsch Röm. Ann.

menter invehitur propter superbiam in duces Romanos, Regulum [1]) ib. c. 12 et 13 et 15; Fundanium XXIV. 9 § 2; effert laudibus Hamilcarem XXIV. 5 et XXV. 8; Hannonem XXIV. 10; duces Poenorum in pugna Lutatii (a. 242) fortitudine adversarios superavisse ait *ταῖς εὐψυχίαις ὑπερέχοντες τῶν ἀνθεστηκότων;* laudes Xantippi XXIII. c. 14 § 2. Exponit crudelitatem Atiliorum qua captivos Carthaginienses vexaverunt; contra Regulum morbo extinctum esse ait [2]). Haec omnia quae Polybius fere omisit, ostendunt Philinum, fautorem Carthaginiensium, Diodoro auctorem fuisse. Sed ipsum Polybium imitatus est Diodorus XXIII. c. 15. 1 sqq. cfr. P. I. c. 35. Deinde, ut supra exposui, Philinus tradiderat a. 264 Romanos primum ab Hierone, deinde a Poenis profligatos esse. Id Diodorus auctore Polybio mutavisse videtur. Nam cum reliqua e Philino hauserit, ait Poenos profligatos esse: deinde Romanos Echetlam (restit. pro Egesta) adortos esse cum Philino (P. I. 15 § 10) addit.

Polybio autem Fabii annales quasi fundamentum fuerunt. Narrat res e parte Romanorum, ad omnes annos sedulo consulum nomina apposuit, e more annalium scriptorum Romanorum. Hoc bellum ideo narrare instituit quod Romani tum primum mare ingressi [3])

---

[1]) Verba Diodori: *οὔτε τὸ τῆς πατρίδος ἔθος — — μιμησάμενος* non vetant quominus has res Reguli Philino tribuamus (ut censet Neuling p. 39); ea enim Diod. ipse apposuit

[2]) XXIV. 12: „*Καὶ νομίσασα (ἡ μήτηρ) δι᾽ ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τὸ ζῆν.* Itaque satis probatur ea quae Tzetzes (Hist. 3. 356) de nece Reguli et Xanthippi tradit non e Diodoro sumpta esse.

[3]) P. I. 20 § 8: *ἐμβαίνειν εἰς τὴν θάλατταν* est: imperium maris classi petere; cfr. I. 55 § 2 cum Romani novam classem non parent, dicuntur *ἐκβῆναι ἐκ τῆς θαλάττης.* Itaque illis verbis

cum Poenis aemulari ausi sint. Saepe de Senatu Romano et comitiis narrat quae e Philino discere non potuit [1]), et eiusmodi res de Senatu Carthaginiensi tradere omisit; saepe etiam re aliqua narrata addit quo animo Romani nuntium Romam perlatum acceperint [2]).

Comparantibus autem nobis Polybium qui Fabii libris fundamento narrationis usus est, et Diodorum qui Philinum fere sequitur, apparet nihil fere inter eos convenire, vel in numeris navium vel in narratione; quod ex ipsis locis compositis ostendere longum est. Multas res etiam supra e Diodoro collegi quas omisit Polybius. Polybius nullam, quatenus nobis observandi copia est, continuam narrationem e Philino hausit, nisi fortasse quae tradit de obsidione Lilybaei, c. 42—48 et c. 53, quae satis conveniunt cum Diodori ll. XXIV. c. 1, et quibus solis magis e parte Carthaginiensium res observare videtur Polybius quam e parte Romanorum. Contrarium dici potest cum de multis aliis, tum de pugna navali M. Reguli, c. 26 (cfr. ibi vox *τριάριοι*).

Verum hanc utilitatem Polybio praebuit Philinus, ut audita et altera parte de quibusdam rebus rectius et liberius iudicare posset. Quae de Regulo narrat Polybius plane contraria sunt vulgatae Romanae traditioni; metuens ille ne successor sibi mittatur qui belli confecti gloriam capiat, ad pacem primum hostes cohortatur (P. c. 31 § 4); et sciens omittit P. quae de legatione eius Romam facta et de cruciatu eius postea fabulaban-

---

negatum non est, Romanis antea naves et classem mercatoriam fuisse Non est huius loci indagare quatenus Romani iam ante hoc bellum rebus maritimis viguerint cfr. Momms. R. Gesch I. p. 46 et 412.

1) P. I. 11 § 1 sq.; 17 § 1; 20 § 1; 29 § 8.

2) P. I. c. 16 § 1; 17 § 1; 20 § 1: *περιχαρεῖς γενόμενοι καὶ ταῖς διανοίαις ἐπαρθέντες*; 24 § 1; 41 § 1 *περιχαρεῖς ἦσαν*; 49 § 1.

tur. Apud Livium (peri. 18) Regulus successorem sibi mitti postulat; mox captus a Carthaginiensibus ad senatum missus ut de pace ageret, re infecta Carthaginem reversus supplicio perit. Haec Livius et recentiores historiae scriptores ita exponunt ut laudatores Reguli ea exornaverant [1]; quid Fabius tradiderit incertum est. Sed constat tempore Polybii iam initia earum fabularum adfuisse [2]; et Polybium e Philino res Reguli hausisse apparet ubi Diodorum contuleris [3]; a Philino igitur permotus est ut illas traditiones omitteret.

Neque minus a vulgata Romana traditione differunt quae narrat Polybius de P. Cornelio Scipione Asina (I. c. 21 § 4—9 et VIII. c. 1 § 9). Is cum 17 navibus a Boode classi circumventus, cum milites eius in terram descendentes fugam peterent, perterritus (ἐκπαγλὴς γενόμενος) et inconsulto (ἀλόγως) hostibus se dedit. Omnes recentiores scriptores [4]) exponunt de perfidia et

---

1) Cfr. Lachmann de font. Liv. II. p. 4.

2) Gell. N. A. VII. 4 § 1—3 Tuditanum aequalem Polybii tradidisse dicit de cruciatu Reguli.

3) P. c. 31 § 6: „ὁ μὲν γὰρ Μάρκος, ὡς ἤδη κεκρατηκὼς τῶν ὅλων, ὅ,τι ποτὲ. συνεχώρει πᾶν ᾤετο δεῖν αὐτοὺς ἐν χάριτι καὶ δωρεᾷ λαμβάνειν.

Diod. XXIII. 12: — ἔφησεν αὐτοὺς δεῖν τοὐναντίον χάριν ἔχειν ἐπὶ τούτοις, μὴ δυναμένων γὰρ αὐτῶν μήτε κατὰ γῆν μήτε κατὰ θάλατταν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἀντιτάξασθαι, πᾶν τὸ συγχωρούμενον ὑφ' ἑαυτοῦ λαμβάνειν ἐν δωρεᾷ.

Diodorus haec non e Polybio hausit, nam tres legatos Poenorum nominat qui Regulum pacem orarent quos Pol. non nominat (videtur ab eclogario omissum esse quod praecederet, Regulum legatos misisse qui ad pacem provocarent); igitur ex eodem fonte sunt ducta.

4) Liv peri. 17. Florus, Eutropius, Orosius, Polyaenus VI. 16. 5, Zonaras VIII. 10. Neuling l supr. l. p. 30 conicit Zonaram et Polyaenum tradere res Diodori, hunc e Fabio sua hausisse; sed haec nimis incerta sunt.

insidiis quibus Scipio nefarie fraudatus sit. Factum esse potest ut haec traditio Polybio recentior esset, sed magis credibile est, Polybium eam respuisse et e Philino vera didicisse.

Quae deinde de Xanthippi exitu ferebantur cognovit Polybius (I. 36 § 4), et alio loco eam narrationem, cui fidem nullam habendam esse censet refutaturum se esse profitetur. Diodorus ut supra exposui, num eam tradiderit, e verbis Tzetzae non satis confirmatur, parum credibile videtur, Philinum tale Poenorum flagitium memoriae tradidisse; potius credo Polybium e Philino de hac re etiam vera didicisse.

P. I. 25 § 5: *ἐκ δὲ ταύτης*, ait, *τῆς ναυμαχίας ἀμφότεροι νομίζοντες ἐφάμιλλον πεποιῆσθαι τὸν κίνδυνον;* ea verba indicare videntur, cum Fabium tum Philinum huius pugnae navalis victoriam suis amicis vindicare studuisse, Polybius utriusque sententiam componit.

Denique in alia re multo graviore Philini fidem Fabio praetulit Polybius. Hic enim tradiderat milites Hamilcaris qui Erycem tenebant, diuturna oppugnatione exhaustos et enervatos, inopia fractos, post pugnam ad Aegates gestam erepsisse et in patriam effugisse (P. I. 58 § 5). Diodorus contra e Philino, quem etiam Nepos Ham. I. 3—5 secutus esse videtur, tradit Hamilcarem, cum armis relictis ut Sicilia decederent Poeni imperasset Lutatius, in bello perseveraturum se esse statuisse, nisi Lutatius huius pertinaciae cedens aequiores pacis conditiones dedisset.

Eodem modo Polybius (cfr. supr. p. 67), etsi de illa Lutatii superbia tacet, ulla dedecoris macula milites Poenorum dehonestatos fuisse negat, et corona diis dedicata e diuturna contentione eos destitisse ait, animis intactos et quasi invictos, fortes et probos viros, quales eos fuisse etiam e Diodoro cognovimus.

His praemissis de Polybii fontibus, superest ut quaeramus de eiusdem fide. De hoc bello alii fontes nobis praesto sunt, quos qui historiam pragmaticam de eo scribere instituit, nonnisi magno suo et veritatis damno neglexerit. Ipse Polybius lectorem monet ne nimis expectet; omnia sedulo enarrare, ait, non necessarium nobis esse videbatur. Non enim de hoc bello diligenter verum indagare (ἱστορεῖν) induximus, sed brevi res praecipuas tangere (I. c. 13 § 6 sqq.). Res in hoc bello quotannis gestas cum cura e Polybio, Diodoro, Zonara, aliis exposuit H. C. Michaelis [1]), cui cum in multis rebus assentiar, in duobus contra, rebus Reguli (p. 133—149), et rebus anni 247 (p. 173) assentiri nullo modo possum.

Polybius si plus dedit quam promisit, et de aliquot rebus brevi, de aliis contra uberrime exposuit, sane suo iure egit. Sed idcirco iure reprehenditur, quod aliquot res nimis neglegenter tractavit; eo magis cavendum est ne quis ex eo solo res huius belli cognoscendas esse credat. Nam graviter in temporis ratione erravit. Annus belli 13 (a. 252) nihil memorabile obferebat nisi quod Thermae et Lipara a Romanis captae sunt (P. I. 39 § 13); huius anni consules Aurelium Cottam et Servilium Geminum non nominavit P., sed c. 39 § 1 consules anni 253, § 8 consules anni 251, nominat. Deinde c. 39 § 15 nominat consules anni 250; c. 40 revertitur ad a. 251, ut apparet § 1; c. 41 § 4 rursus ad annum 250 redit, et ne lector res perturbet, addit hunc fuisse belli annum 14; sed ipse erravit, oblitus se anni tertii et decimi consules omisisse; dicere debuerat eum esse belli annum 15. Hinc factum est ut consules anni 16 Claudium Pulchrum et Iunium

---

[1]) Quaestiones de bello Punico primo, Trai. ad Rhen. 1846.

Pullum, in duos annos (15 et 16, vel 250 et 249) distribueret (c. 49 § 3 et c. 52 § 5), cum uterque pertineat ad annum belli 16, vel 249; id non solum ei expediebat quod ita annum priore errore amissum reparabat, sed etiam quod ita duo magnae Romanorum clades (ad Drepana et ad Camarinam) in duos annos distribuebantur, quae tamen ad eundem 249 pertinent [1]).

Sed fuerunt qui contenderent, Polybium partium studio correptum, consulto aliquot res perperam tradidisse. Ac primum quidem Peter [2]) statuit Polybium inimicitiis inductum quae inter familias Fabiorum et Scipionum olim intercesserant, hoc odium etiam in Fabium annalium auctorem pertulisse; eum Fabio non suum decus tribuisse quia nimis daret auctoritati Scipionis eiusque amicorum quorum consuetudine Romae utebatur. Id non solum longe petitum mihi videtur, sed etiam ex ipsis rebus apparet, Polybium in hoc bello enarrando minime ductum esse studio gentis Corneliae. Nullam operam adhibuit ad levandam ignominiam P. Cornelii Scipionis Asinae (a. 260), cuius calamitatem reliqui scriptores perfidiae Poenorum sine ulla ipsius culpa adscribebant. Deinde, quod etiam magis mirum est, nullam mentionem fecit expeditionis a L. Cornelio Scipione (a. 259) in Corsicam et Sardiniam factae et eiusdem triumphi. Id ita tantum explicari potest, ut in rebus ad Siciliam gestis sedulo se continuerit; sed Scipionum gloriam ei parum curae fuisse utique apparet.

---

[1]) Ita explico errorem a Polybio in serie magistratuum admissum, quem cum Lachmann in diss de font. Liv. et Michaelis (Quaest. de b. P. pr. p. 151 sq.), tum alii animadverterunt.

[2]) Peter, Hist. Rom. Rell. p. LXXXIV.

Deinde Michaelis contendit Polybium quaedam nimis brevi exposuisse studio Romanorum ductum; inprimis in initio belli eum perfidiam et machinationes Romanorum silentio tegere. De brevitate assentior, de studio Romanorum iniquo non item. Omnia repetere longum est. Michaelis p. 53 e Zonara et Dione Cassio colligit, C. Claudium tribunum mil., cum iam Hanno cum mille Poenis urbem Messanam occupasset, solum traduxisse fretum et Mamertinos spe auxilii Romani incitavisse, eumque ipsum cognationis praetextum excogitavisse, quo Romanorum ambitionem celaret. Sed Zonaras iam paullo ante (VIII. c. 8) tradidit Mamertinos auxilium a Romanis petivisse *οἷά σφισι προςήκοντας*. Deinde etiamsi verum est, Romanos magis ut Poenis resisterent quam ut Mamertinos adiuvarent rebus Siciliae se immiscuisse, eodem modo, quod e Diodoro colligitur, Poeni (quibus tum etiam dux erat Hannibal quem mox Hanno secutus est) cum dolo regi Hieroni persuaserunt ut Messanam relinqueret et ipsi mille milites, quos urbi praesidio fore simulabant, in urbem introducunt (M. p. 49). Itaque Poeni non minus quam Romani avaritia ducti sunt. Denique C. Claudius trib. mil. paullo post classe Messanam pervenire conatur; Poeni eius classem adoriuntur et aliquot triremes submergunt. Hanc pugnam quam e Diodoro et Zonara cognovimus (M. p. 53) omisit Polybius; sed ex ea apparet Poenos primos bellum incepisse, itaque eam Polybius non studio Romanorum ductus omisit.

In reliquis annis belli si componimus ea quae Polybius omisit, ut Michaelis fecit, cuique apparebit fere totidem Poenorum atque Romanorum clades vel victorias ab eo omissas esse. Studii iniqui nullum vestigium adest. Sane Polybius parum curae posuit in enarrandis omnibus belli terrestris casibus, fere in rebus

navalibus ad Siciliam gestis se continuit. Hoc consilium haud improbandum esse videtur, quoniam hoc maximum huius belli momentum esse censebat, quod Romani in eo primum maris imperio potiti sunt.

IV. Bellum Gallicum.

Pol. II. c. 22—35.

Polybius II. c. 24 ut ostendat quantum fuerit robur Romanorum, contra quos Hannibal bellum gerere ausus esset, copias Romanorum et sociorum auxilia enumerat, quorum tum numerus in tabulis publicis inscriptus erat: (Pol. II. 23 § 1) *τοῖς ὑποτεταγμένοις ἀναφέρειν ἐπέταξαν ἀπογραφὰς τῶν ἐν ταῖς ἡλικίαις, σπουδάζοντες εἰδέναι τὸ σύμπαν πλῆθος τῆς ὑπαρχούσης αὐτοῖς δυνάμεως.* Omnium copiarum autem summa est 699.200 ped., 69100 eq., vel 768300 omnes [1]); ipse ait (§ 16) numerum omnium virorum adultorum qui arma ferre possent fuisse (numero rotundo) 700.000 ped., 70.000 eq., vel 770.000.

Hunc conspectum a Fabio ad lucem tractum esse, qui ipse bello interfuerit, quoque qui paullo post rempublicam ipse gesserit nemo aptior fuerit ad rem cognoscendam, inde constat quod Livius [2]) (Orosius, Eutropius, Plinius [3])) eum auctorem allegavit. Livius et qui

---

[1]) Peter Hist. Rom. Rell. p. 36 not. 23 numerum computavit 800 300 militum; socios (c. 24 § 3) errore bis numeravit.

[2]) In peri. 20 Livii corrigenda esse conieceram haec verba: „eo bello populum Romanum sui latinique nominis $\overline{\text{CCC}}$ armatorum habuisse dicit Fabius", ex Orosio et Eutropio in $\overline{\text{DCCC}}$. Nunc video id confirmari auctoritate Mommsenii, (Hermes XI. 1 p 49), qui statuit in codice legi accc, illud a = D vulgo corruptum esse.

[3]) Plinii (N. H. III. 20) ex optimo codice Leid. A. legitur $\overline{\text{LXXX}}$ equitum, $\overline{\text{DCC}}$ peditum; recensus auctorum ad Livium

eum sequuntur tradunt numerum 800.000; Polybius et qui eum sequitur Diodorus (XXV. c. 13) tradit 770.000. Quod differt ita explicandum esse videtur, partim quod Livius numerum posuerit rotundum, partim quod Polybius aliquot copias omiserit, nempe equitatum Umbrorum et Cenomanorum (c. 24 § 7), fere 4500 et sociorum copias in Sicilia et Tarenti (c. 24 § 13), fere 12000 [1]).

Utramque traditionem (Livii et Polybii) e Fabii annalibus fluxisse, iam ideo probatur, quod incredibile videtur et a Fabio et ab alio quodam auctore forte ante belli Gallici narrationem talem computationem factam esse [2]). Sed etiam totam belli Gallici narrationem a Polybio e Fabii libris esse sumptam, docet consensus Orosii (qui Fabium auctorem nominat, IV. 1, 13), et Polybii. [Nam quod illos 800.000 hominum tum revera in exercitu Romano contra Gallos militavisse narrat Orosius, id de suo perperam addidit]. His verbis enim consentiunt:

Pol. c. 22 § 1: τοὺς περὶ τὸν Ῥόδανον κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν Γαισάτους· ἡ γὰρ λέξις τοῦτο σημαίνει κυρίως.	Oros. l. l.: „Gaesatorum, quod nomen non gentis, sed mercennariorum Gallorum est."

---

hoc pertinere ostendit. Du Rieu (l. l. p. 194) coniecit legendum esse 770.000 (cfr. Peter H. R. R. p. 36 not. 23).

1) Mommsen l. l.

2) Numerum Romanorum et Campanorum Polybius tradit 299.200 ped. 26.100 eq. (nempe § 3: 20.800 — 1200; § 9: 20.000 — 1500; § 13: 8400 — 400; § 14: 250.000 — 23.000). Apud Orosium vulgo legitur numerus: 348.200 ped. 26.600; ille numerus corruptus esse videtur, ita ut pro $\overline{\text{CCCXXXXVIII}}$ CC legendum sit (e coniectura Mommsenii) $\overline{\text{CCLXXXXVIIII}}$ CC. Etiam animadverto, a Mommsenio et ab Hultschio tanquam glossema eiecta esse verba § 15: κεφάλαιον — τὸ δέ.

Pugnam ad Faesulas gestam (P. c. 25 sq.) omisit Orosius; proelium quo C. Atilius consul occisus est (P. c. 28) tangit O. addito numero fugatorum (80.000) et caesorum (3000). Denique numeros Gallorum caesorum in proelio ad Telamonem apud utrumque et Eutropium (III. c. 3) idem legitur (P. c. 31 § 2; Oros. et Eutr. 40000). In expeditione Fulvii et Manlii (P. c. 31 § 7—9) et Flaminii (c. 32 sq.) numeros non tradit Polybius, Orosius in illa 23000, in hac 9000 caesos esse ait. In novissimo bello Gallico (P. c. 34) Polybius tradit a Gallis auxilia adsumta fuisse Gaesatorum, circa 30.000 hominum (§ 2). Orosius eandem traditionem servavit, sed turbatam; dicit enim „post hoc Claudius cs. Gaesatorum 30000 delevit", pro eo quod debuerat dicere: Gaesatos delevit quorum 30000 arcessita erant.

Cum igitur Livius et Polybius, ubi easdem res memorant, concinant, ab illo (Oros. Eutr.) autem Fabii nomen laudatum legamus, hunc Fabii annalibus usum esse sciamus, constat utrique Fabium auctorem fuisse.

Praeterea Polybii narratio eos prae se fert colores qui auctorem rebus gestis aequalem et qui ipse iis interfuerit indicare videantur. Non solum enim aliquot locis animi affectus pingit eius qui res in proelio praesens adspexerit [1]), sed etiam paullo post ipsa verba testis oculati reddere videtur, ubi dicit clamorem et tubarum sonitum tantum fuisse ut qui audiret crederet cum sono tubarum et militum clamore conclamavisse

[1]) P. II. c. 28 § 11: μετὰ δὲ ταῦτα τῶν πεζῶν στρατοπέδων ἤδη σύνεγγυς ὄντων ἀλλήλοις, ἴδιον ἦν καὶ θαυμαστὸν τὸ συμβαῖνον οὐ μόνον τοῖς ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ τότε παροῦσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ποτε μετὰ ταῦτα δυναμένοις ὑπὸ τὴν ὄψιν λαμβάνειν ἐκ τῶν λεγομένων τὸ γεγονός. Et c. 29 § 2: πῶς οὐκ ἂν ἀπορήσειέ τις καὶ νῦν καὶ τότε παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν ὤν.

etiam colles adiacentes, resonantes strepitu pulsi [1]). — Denique, ut alius animadvertit [2]), vituperatio Flaminii ad Fabium referenda est; tribunorum militum crebra mentio fit, Fabius autem trib. mil. fuisse videtur; *χιλίαρχοι* magno usui sunt in Flaminii proelio cum eam dimicandi rationem ostendant qua Gallorum tela mox inutilia fiant [3]). Haec cum cura a Fabio tradita esse credibile est, quae ad ipsum pertinerent.

Polybius igitur etiam hac in parte obsecutus est legi quam in fontibus elegendis sibi constituerat ut praesertim eos sequeretur qui quas res describerent ipsi praesentes vidissent. Nam bellum Gallicum cum fide et copiose a Fabio esse enarratum docet Dionys. Halic. I. c. 16, et VII. 71.

Bella Gallica superiora.

Pol. II. c. 17—21.

Fabii annales fontem fuisse Polybio in enarrando tempore regni Romani statuimus hac ratione ducti, quod annus regum exactorum et tempora singulorum regum ita a Polybio definirentur, ut appareret eum quo auctore in iis usus esset, annum urbis conditae Ol. 8. 1 constituisse. Is autem Fabius fuit.

Argumentis aliquanto firmioribus nisi statuimus e Fabio sumptam esse narrationem belli Gallici annis 225—222 gesti. Denique in bello Punico priore Fabium inprimis secutus est P.; in initiis belli Punici secundi narrandis eum refutare conatur.

---

[1]) C. 29 § 6.

[2]) Heyer de bellorum a Rom. cum Gallis inter prim. et secund. Pun. gestorum scriptoribus Regim. 1867. cfr. Nitzsch Röm. Ann. p. 274.

[3]) C. 33 § 1, § 4, § 6.

Accedimus ad quaestionem longe difficiliorem, num verisimile sit in recensu bellorum Gallicorum eum Fabium secutum esse. Obstat quod eius traditio adeo a recentioribus quae nobis servatae sunt traditionibus discrepat, ut si illi sit fides, parum certi de rebus priscis Romanis nos cognovisse fatendum sit. Hoc credo Niebuhrium movit ut sententia mutata [1]) Livii fidem praeferret [2]). At Niebuhr ita locutus est, quasi de una tantum expeditione anni 367 ageretur, neque vidisset, etiam de omnibus aliis expeditionibus Polybium Livio contraria tradere. Res ita explicari nequit, ut Polybius annales perscrutatus, errore unum annum praetermiserit.

Quaestio autem de qua agitur non ita constituenda est ut quaeramus utrum Polybium an Livium in exponendis rebus Romanis eo tempore gestis sequi debeamus. Livius satis plenam, copiosam, multis rebus memorabilibus ornatam traditionem obfert; Polybius contra in exili bellorum Gallicorum recensione se continuit, nulla nomina, nullas praeliorum descriptiones addit. Qui autem inter eos optionem faciendam esse sibi putaverunt, cum res Romanas continua narratione exponere vellent, Livium facile praetulerunt; si Polybio

---

[1]) Niebuhr Vorles. (ed Isler) I. p. 411. Was von früheren (vor 361) Erscheinungen der Gallier erwähnt wird, dem widerspricht Polybius, der alle Züge derselben angiebt und diesen als den ersten nach der Zerstörung Roms nennt."

[2]) Nieb. Röm. Gesch. III. p. 87: „das unbedingte Vertrauen, welches Polybius für die ihm nahen Zeiten gebührt, kann sich nicht auf so alte erstrecken, worüber er nur in den Annalen suchen, und die Vorfälle eines Jahres leicht ganz übersehen konnte. Sein Vorurtheil, dasz Fabius immer für die Römer übertreibe, machte ihn wenigstens geneigt eine Darstellung für ächter zu halten worin römische Siege verschwanden — — —" Eodem modo iudicat Lachmann de font. Livii I. p. 65.

fidem haberent, fere nihil tradendum sibi superesse crediderunt. Itaque de Livii et Polybii fontibus non satis cogitaverunt; eam traditionem elegerunt quam veram esse maxime eis expediret, et alterius (Polybii) molestam vocem ad silentium redegerunt, statuentes eius fidem et auctoritatem non ascendere ad talem vetustatem. At Livii auctoritas num longius ascendit quam Polybii? Num hic aliud quid facere potuit quam perscrutari annales? vel, quod potius credo, exscribere aliquem auctorem qui eo modo res composuisset? Quid *verum* sit, statui non potest e iudicio in universum lato de Livii fide et Polybii. Res tota huc redit: quibus auctoribus usi sint P. et L.; quod si indagatum est, quaerendum superest quatenus alium auctorem ex alio explere, alios reicere aequum sit. Etiamsi constat Fabium fuisse Polybio auctorem, minime ex ea re sequitur omnes Livii traditiones falsas esse; factum esse potest ut Fabius aliquid omiserit, quod in recentioribus fontibus servatum sit. Quaerentibus autem nobis quo fonte Polybium usum esse probabile sit, duae inprimis res praemittendae esse videntur. Ac primum quidem omnia suadent ut statuamus, Polybium non eam diligentiam hac in parte posuisse in vero indagando quam in aliis librorum partibus [1]. Voluit tantum brevi percurrere et quasi delineare res hoc tempore in Italia gestas: non multum curavit annos accurate tradere (itaque consulum nomina non apposuit, quae in omnibus annalibus sane adscripta invenire potuisset); parum eius intererat si forte numerum expeditionum non plane cum vero congruentem constitueret. Quid ex iis sequi-

---

[1]) Quod de hac *προκατασκευῇ* ipse saepe confitetur, cfr. I. 13 § 7: *οὐ γὰρ ἱστορεῖν ὑπὲρ αὐτῶν προτιθέμεθα, μνησθῆναι δὲ κεφαλαιωδῶς προαιρούμεθα.*

tur? Nempe Polybium eum fontem sibi elegisse, e quo *omnes* res Gallorum cognoscere posset, qui etiam de aliis bellis Gallicis (anni 390, anni 225) quod satis esset traderet; deinde qui brevi res percurreret et ad propositum suum aptissimus erat. Sed etiam ex iis sequitur eum elegisse auctorem quem in rebus Romanis optimum et fide dignissimum esse putaret, nam quantum fieri poterat minimum demere, nihil mutare, nihil ex aliis fontibus addere voluit; artem criticam in singulis adhibere non operae ei videbatur. Haec autem omnia ei praebere potuerunt Fabii annales. Is enim brevi (*κεφαλαιωδῶς*) haec tempora enarravit; bellum Gallicum anni 225 etiam plenius tradidit, prorsus eodem modo quo Polybius. Fabius aetate Polybii fidissimus auctor putabatur (cfr. I. 14 § 1: *ὃς ἐμπειρότατα δοκεῖ γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ*, i. e. de bello Punico *primo*); quanti facerent aequales Polybii Fabii annales etiam docet Pol. III. c. 9 § 1—5. Deinde Fabii annales perlegerat antequam scribendi initium fecit; si verum est eum non multum operae trivisse in auctore eligendo, certum fere est eum Fabium praetulisse.

Sed Niebuhr censet Polybium etiam hac in parte „artem" quandam „criticam" adhibuisse, sed eam plane perversam et pessimam; scilicet Polybius Fabio fidem recusavisset, alium auctorem quaesivisset, qui aliquot victorias Romanis detraheret. Primum hoc minime convenit cum consilio Polybii, qui Graecis virtutem Romanorum, infirmitatem Gallorum ostendere voluerit; si horum bellorum pericula imminuisset, suam partem debiliorem fecisset. Deinde me iudice Niebuhr exaggeravit ea quae Polybius contra Fabii auctoritatem attulit. Denique si Fabii traditio de bellis Gallicis adeo discreparet ab iis quae ipse de hoc bello comperta habebat, non secus atque in bellis Punicis Fabium

refutare suscepisset, ut illa commenta dilueret. Polybius ibi de levioribus rebus eum satis severe reprehendit; qui fieri potuisset ut nunc silentio Fabium praetermitteret cum multo graviore crimine eum damnare posset, nempe quod victorias Romanorum finxisset? — Quaerenti quo auctore nisi Fabio Polybius haec scribere potuit, Graeculo quodam fortasse respondebitur. At bellum anni 225 certe latini auctoris est. Deinde considerandum est consilium quo Polybius haec bella memoravit. Graecos incitare studet (c. 35 § 5—9) ne nimis barbarorum impetus formident, cum cognoverint Romanos bellis tam gravibus (c. 35 § 2) victores fuisse consilio, Gallos victos esse propter inconstantiam suam (§ 3). Clarum est Polybium hoc loco civibus suis Graecis res parum iis notas exponere. Hoc probat ut vidit Nitzsch [1]) eum non Graeco auctore usum esse. Revera res parum cognita erat Graecis: Theopompus primus belli primi Gallici (390) mentionem iniecerat [2]). — Per totum opus Polybius increpat auctores Graecos qui suo tempore vel paullo ante erant, qui aut res gravissimas brevi perstringere solerent [3]) aut insulsis ornamentis, prodigiis, nugis (τεϱατολογίᾳ) aggravare [4]). — Niebuhr autem statuit Timaeum solum de bellis Gallicis scripsisse [5]). Timaeus quem acerbo odio insectatur Polybius, quem inscitiae et stultitae accusat, quem consulto mentitum esse, nihil recte tradere, omnia imperitia sua turbare censet, si quid de bellis Gallicis tradidit, id ipsum Polybium permovisset ut Fabium auctorem praeferret.

---

[1]) Röm. Ann. p. 277.
[2]) Plin. H. N. III. 9.
[3]) P. V. 33 alibi.
[4]) P. XVI. c. 12 § 5 alibi.
[5]) Röm. Gesch. II. p. 623.

Multis locis dicit Graecos auctores perperam de rebus Romanis exposuisse, et Timaeum iis verbis indicat [1]). Fabius res sincere tradidit (I. 14 § 2: „ἑκόντας ἐψεῦσθαι οὐχ ὑπολαμβάνω); Timaeus saepe sciens lectores decipit (XII. 12d: „ψεύδους κατὰ προαίρεσιν ... ᾧ γένει μάλιστ' ἂν εὕροι τις ἔνοχον αὐτὸν τὸν Τίμαιον). Quae de bellis Gallicis scripsit P. suo tempore apud Romanos viguisse et e libris optimi scriptoris eius aetatis, Fabii coartata esse credo. Nunc exponam numquid Polybium e Fabio omisisse credam, deinde numquae fides aliorum traditionibus restet.

Polybius antequam ad bella Gallica accedit, exponit Gallos quodam tempore Alpes transgressos, agros fertiles inter Apenninum et Alpes sitos occupavisse, et ita quidem ut Senones extremum locum ad meridiem spectantem obtinerent [2]). Hos agros olim colebant Etrusci, quorum imperium eo tempore a Capua ad mare Adriaticum stabat; itaque is qui memoriam rerum Etruscorum repetere velit, caveat ne ab iis contractis finibus res deducat, quos Polybii tempore Etrusci incolebant (§ 2). De antiquo Etruscorum imperio fortasse Catonem secutus est (cfr. Orig. III. fr. 2 et II fr. 14 Iordan); quae scribit de ordine quo consederint gentes Gallicae (§ 4—8, aliquanto accuratius, credo, quam Liv. V. 35) et de moribus Gallorum (§ 9—12) etiam ex alio fonte cognovisse videtur.

Livius (V. 33 sqq.) auctorem secutus esse videtur qui belli Gallici narrationi praemiserat vulgatam opinionem de impetu Gallorum qualem Fabius eam etiam tradi-

---

1) De Timaeo cfr. Mommsen Röm. Gesch. I. p. 467 sq.

2) P. II. c. 17 § 1—7. Cfr. Diod. XIV. c. 113 § 3. Liv. V. 35 minus recte, credo: „Senones recentissimi advenarum."

dit [1]) Ex hac narratione de Arrunte Clusino tradita, sequeretur necesse erat Gallos eodem anno quo Roma capta esset primum Alpes transiisse. Polybius id diserte addere evitat, cum de Clusio taceat, et addat Gallos, aliquo tempore post (μετὰ δέ τινα χρόνον) Romam aggressos esse. Diodorus advenisse Gallos tradit Ol. 98. 2, eodem anno quo Romam captam esse tradit [2]). Livii auctor — quem idcirco Polybio recentiorem esse censeo — hanc Fabii sententiam docto excursu (c. 33 § 4 — c. 35 § 3) refellendam suscepit, quo ostendit ducentis annis antequam Roma caperetur Gallos primum in Italiam transcendisse Tarquinio Prisco regnante; itaque eos qui oppugnaverint Clusium et Romam non esse eosdem qui primi Alpes transierint [3]).

Fabii narrationem a Polybio esse contractam, etiam alio loco apparet (II. c. 18 § 2) „μετὰ δέ τινα χρόνον μάχῃ νικήσαντες Ῥωμαίους..., ἑπόμενοι τοῖς φεύγουσι

---

1) Liv. V. 33 § 2: „eam gentem traditur fama dulcedine frugum, maximeque vini, nova tum voluptate, captam, Alpes transiisse, agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse, et invexisse in Galliam vinum inliciendae gentis causa Arruntem Clusinum ira corruptae uxoris ab Lucumone. P. II. 17 § 3: οἷς (Τυρρηνοῖς) ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παράθεσιν Κελτοὶ καὶ περὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας ὀφθαλμιάσαντες, ἐκ μικρᾶς προφάσεως (sic P. contraxit uberiorem Fabii de Arrunte narrationem) μεγάλῃ στρατιᾷ παραδόξως ἐπελθόντες ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυρρηνοὺς καὶ κατέσχον αὐτοὶ τὰ πέδια.

2) Diod. XIV. c. 113 § 1.

3) Lachmann (de fontibus Livii I. p. 22) conicit Livium in his secutum esse „Transpadanorum famam, et fortasse Patavinorum ἐπιχωρίους γραφάς." Sed Livius ab arte critica alienus est, nisi auctores dissentiunt; solet fontes suos cum fide sequi. Certe non ipse eas doctas notas composuit de Ambigato (34 § 2), de adventu Massiliensium (§ 8), alia. Haec magis cum Pisonis ratione conveniunt.

τρισὶ τῆς μάχης ἡμέραις ὕστερον κατέσχον αὐτὴν τὴν Ῥώμην [1]). Ac primum quidem illa accurata temporis definitio trium dierum post aliam tam vagam, *μετά τινα χρόνον*, et in expositione tam brevi, ostendit, auctorem Polybii aliquanto uberiorem narrationem dedisse. — Livius hanc Fabii traditionem non novit, narrat enim (c. 39 § 1 sqq.) Gallos post pugnam aliquamdiu moratos haud multo ante solis occasum ad urbem pervenisse, ibi metu insidiarum ante portas non clausas totam noctem consedisse, et postquam una interposita nocte a contentione pugnae remisissent animos, postero iam die urbem ingressos esse (c. 41 § 4). Sed Diodorus eam fortasse plenam servavit [2]); quae ab eo traduntur, Polybius (qui ipsum proelii diem non numeravit) omisisse videtur.

De oppugnatione Gallorum fere nihil tradidit P., solum addit (II. 22 § 5) Gallos per septem menses urbem occupatam tenuisse. Livius et Diodorus rem omittunt. Duas hac de re extitisse traditiones docet Varro de l. l. 6. 18, qui de Poplifugiis (5 Juli) agens „non multo enim, ait, post hic dies quam decessus Gallorum ex urbe" [3]). Contra Plutarchus (Camill. 30) veterem traditionem secutus, et septem mensibus numeratis,

---

[1]) Ex his Niebuhr (Röm. Gesch. II. 599) efficere me iudice non debuit, Alliam tridui viam a Roma abesse, Diodorus enim rectam interpretandi rationem ostendit.

[2]) XIV. c. 115 § 5: (Ῥωμαῖοι) ἀναστροφὴν ἔχοντες τρεῖς ἡμέρας... οἱ γὰρ Κελτοὶ μὲν πρώτην ἡμέραν διετέλεσαν ἀποκόπτοντες τὰς κεφαλὰς τῶν τετελευτηκότων..., τὰς δὲ δύο παρὰ τὴν πόλιν στρατοπεδεύοντες... τῇ τετάρτῃ δ' ἡμέρᾳ... τὰς πύλας ἐξέκοψαν. — Variis modis res a Fabio primum traditae ad Diodorum pervenire potuerunt, quem ipsum non Fabium sequi solere censet Nitzsch Röm. Ann. p. 226—232. Verum nunc cfr. Mommsen, Hermes XIII. 3 p. 305 sqq.

[3]) Cfr. Mommsen, Röm. Chron. p. 99.

περὶ τὰς Φεβρουαρίας εἰδούς, ait, *ἐξέπεσον*. Livius videtur recentiorem rationem probavisse.

Longe igitur abest ut statuam, Polybium ita Fabium secutum esse, ut fere semper eius verba nobis servaverit [1]). Contra longe maiorem partem a Polybio esse omissam etiam quae sequuntur probabunt.

Livius in narratione obsidionis Gallicae eum auctorem deseruit, quem de adventu Gallorum disseruisse modo exposui, quod docet genus narrandi, multis fabulis, nulla doctrina. Contra vel auctor quidam quem sequitur, vel ipse, omnes fabulas collegit quae de hoc tempore et de insequentibus bellis Gallicis e variis annalibus etiam recentioribus innotuerunt. Itaque etiam aliqua Fabiana ad eum defluxerunt; ea nempe quae tradit V. 41 § 3 et 46 § 2. Utraque res adaptata est ad Fabiae gentis gloriam augendam; altero loco Livius narrat seniores in vestibulis aedium hostem expectavisse; addit: „sunt qui M. Fabio pontifice maximo praefante carmen devovisse eos se pro patria Quiritibusque Romanis tradant." Hoc nomen pontificis in re ab uno auctore tradita, indicat auctorem Fabium. Idem apparet altero loco, ubi narratur miraculum quod in qua officina fictum sit dubium esse non potest; gentis Fabiae commentarii domestici fons fuerunt huius fabulae, qua *sacra gentilicia Fabiorum* ne Gallico quidem bello interrupta esse ostenderetur [2]).

---

[1]) Quod censet Nitzsch Röm. Ann. p. 273.

[2]) L. V. 46 § 2: Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae. Ad id faciendum C. Fabius Dorsuo, Gabino cinctu sacra manibus gerens, cum de Capitolio descendisset per medias hostium stationes egressus nihil ad vocem cuiusquam terroremve motus in Quirinalem collem pervenit; ibique omnibus sollemniter peractis eadem revertens, similiter constanti vultu graduque satis sperans propitios esse deos, quorum cul-

Numquid aliud in narrationibus Livii, Diodori, Dionysii, Plutarchi extet e Fabii annalibus depromptum diiudicare nequeo. Aliae traditiones quia eisdem fere verbis apud omnes auctores recurrunt, satis antiquae esse videntur [1]); alias recentius additas esse apparet eo quod non apud omnes simili forma extant [2]). Ex gr. ad dedecus Alliense levandum in temporis decursu victoria Gallorum parva et exilis efficitur. Livius narrat exercitum Romanum ad Alliam fusum parvum fuisse et quasi tumultuarium. Polybius (II. c. 18 § 2) contra tradit Romanos esse fusos *καὶ τοὺς μετὰ τούτων παραταξαμένους*, Diodorus ait, *ἐξελθόντες πανδημεί*, et ita reliqui. Alia Fabiana iam antea e vulgata traditione exemta esse videntur, quo etiam verisimilius fit a recentioribus, ut Livio, ipsis, Fabii annales hac in re non esse collatos. Polybius enim tradit Venetos Gallorum fines ingressos, domestica negotia iis exhibuisse quibus cogerentur foedere facto decedere; quae traditio mox oblivione pressa aliis cessit.

---

tum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis...

Haec cum iam ante aliquot annos scripta essent, nuper vidi eadem sed brevius exposita esse ab Ihnio (Röm. Gesch. I. p. 227 adn. 8).

[1]) Ut fortasse de Manlio Diod. XIV. 116 § 6; Liv. V. 47 § 4; Dionys. XIII. 8 (11), qui rem pluribus auget et ornat.

[2]) Ut proelium ad octavum lapidem Gabina via commissum Liv. V. 49 § 6. Plut. Cam. c. 29; cfr. Diod. XIV. c. 117 § 4. Apud Diodorum latet, credo, fabulae origo. Nam ibi Camillus Volscos, Aequos, Etruscos vincit, et in eodem bello urbem Veascium (Vulsinios, vel Tusculum?) a Gallis liberavisse traditur. Hos Gallos praedones Etruscorum stipendiarios fuisse suspicor; deinde fabulam esse pervulgatam quasi eosdem Gallos qui Romam oppugnassent vicisset Camillus, et aurum eis ademisset.

Denique in anno oppugnationis Galliae constituendo Polybius a reliquis differt. Dion. Halic. ait fere omnium consensu eam factam esse Ol. 98. 1 (a. 388) [1]). Polybius contra (I. c. 6 § 1 sq.) urbem expugnatam esse statuit anno sexto decimo antequam Leuctris pugnaretur, eodem quo Dionysius Rhegium adortus esset, annis undeviginta post pugnam ad Aegospotamos (a. 406), id est Ol. 98. 2 (a. 387) [2]). Cur hoc loco, ut de anno urbis, ab auctoritate Fabii quem Dionysium etiam indicare negari non potest, decesserit, causa mihi videtur haec: Fabius ita adventum Gallorum qui trans Alpes colerent exposuisse videtur, ut is eodem anno factus esset, quo Roma esset capta, vel potius adventum Gallorum et Romam captam ad eundem annum adscripserat, quod etiam Diodorus fecit; Polybius autem cum aliquod tempus in expugnandis oppidis Tuscorum tritum esse videret, pugnam Aliensem ad proximum annum rettulisse videtur. Itaque sua temporum ratione ductus, quod aliquod temporis spatium intercessisse

---

[1]) Dion. H. I. 74 § 25. Consensum auctorum quem Dionysius memorat Niebuhr (R. G. I. p. 297 adn. 697) ita explicat ut Theopompus vel Aristoteles tradiderit Romam captam esse ἄρχοντος Πυργίωνος; Mommsen (R. Chron. p. 202), ut Fabius id sumserit ex antiquiore libro Siculi alicuius scriptoris. Sed Niebuhr alio loco (R. G. II. p. 624) Eratosthenem et Apollodorum id tradidisse et pervulgasse conicit. — Ceterum cfr. Plin. H. N. III. 9: „Theopompus, ante quem *nemo* mentionem habuit, urbem *dumtaxat* a Gallis captam dixit." Hoc obstare mihi videtur Niebuhrii coniecturis.

[2]) Nisi fallor, cum Niese (die Chron. d. Gall. Kr. bei Pol. Hermes 1878 3tes Heft p. 401—413) tum alii statuerunt Polybium cladem Romanam collocasse ad annum 390. Nimis temerarium mihi videtur talem inconstantiam Polybio obtrudere; verum enim vero hunc locum (P. I. 6 § 1 sq.) eos viros doctos fugisse vix credam.

crederet invasioni Gallorum et oppugnationi Romae, illum annum constituit [1]).

In brevi recensione bellorum Gallorum quam dat Polybius c. 18 § 5 — c. 21 quam parum curae ei fuerit ordinem temporis accurate definire his rebus praemissis apparebit.

C. 19 § 8—10 memorat Polybius obsidionem Arretii anni 285, mortem L. Caecilii praetoris, quam factam esse cognovimus a. 284 a. C., et Senones debellatos. His addit § 12: *εἰς ἣν (χώραν Σηνώνων) καὶ πρώτην τῆς Γαλατίας ἀποικίαν ἔστειλαν τὴν Σήνην προςαγορευομένην πόλιν, ὁμώνυμον οὖσαν τοῖς πρότερον αὐτὴν κατοικοῦσι Γαλάταις.* Livius autem (peri. XI) ait „Coloniae deductae sunt Castrum, *Sena*, Hadria", cui rei cum deinceps subiectus sit census anni 289, constat eam coloniam eo anno ductam esse, quinque annis ante interitum Senonum [2]). Quod non dubito quin Polybius etiam voluerit, sed quia coloniam Senam ductam ad bellum proximum contra Boios gerendum (c. 20), cuius illa incitamentum quoddam fuit, trahere maluit, primo loco narravit quomodo extincti essent Senones, deinde coloniae mentionem inicit, parum moratus quod ita ordinem temporis specie mutaret, quem integrum servare parum curae ei erat.

Multis aliis locis apparet, temporum rationem Polybio levioris momenti visam esse; eam adhibuit tantum ut caveret ne perturbatio rerum oreretur vel ut cognosceretur quid apud varios populos simul accidisset. Quem annum urbis conditae praetulit, haud quadrabat

---

[1]) Fere idem Niebuhr Röm. Gesch. II. p. 625.

[2]) Necesse enim esse non puto ut coloniam Senam deductam esse statuamus post Senones deletos, ut contendit Niese l. l. p. 405 n. 1.

cum reliquo annorum ordine quem e Fabio cognoverat. Urbem a Gallis captam ipse sua ratione ductus in proximum annum detulisse videtur. In computatione annorum belli Punici primi errore se capi passus est, quem facile evitare potuerat. In anno adventus Pyrrhi constituendo minime sibi ipse constat; II. c. 20 § 6 ita loquitur, ut ostendat Pyrrhum in Italiam traiecisse *tertio* anno ante pugnam ad Delphos commissam; sed I. c. 6 § 5 dicit Pyrrhum traduxisse *proximo* anno ante eam pugnam [1]). Hoc loco autem P. aliquot Gallorum expeditiones distribuit per annos 387 (annum urbis captae) — 285 (obsidionis Arretii), id est per spatium 102 annorum. Addit quanta temporis spatia inter singulas expeditiones intercesserint (30 + 12 + 13 + 30 + 4 + 10) quibus computatis evadit spatium 99 annorum. His 99 annis cum adnumeraveris 4 annos dictatorum (vid. paullo post p. 97 adn.) evadit numerus 103 annorum, pro 102. Apparet hoc loco etiam paullo inconstantius Polybium aut contra consuetudinem suam ipsum annum cladis 387 in illud primum 30 annorum spatium recepisse (ita enim pro 30, 29 annos numerare debuerat), aut Fabium neglegentius secutum, hoc loco ab anno 388 pro 387 seriem annorum duxisse [2]).

His erroribus convicti caditne Polybii fides? Minime, credo; apparet quidem eum minore cura de his bellis egisse, eumque res ex auctoris sui annalibus cognitas omnino suis verbis et sua temporum ordinis explicandi

---

[1]) Animadvertendum est, omnes hos locos ad προκατασκευὴν pertinere.

[2]) Defectum urget Lachmann l. l. I. p. 65, ut Polybii fidem diluat; „octo anni deficiunt, 99 enim efficit, cum tamen ab urbe capta ad annum quo Lucius (Caecilius praetor) caesus erat (a. 284), sint 107". Sed perperam Lachmann ab anno 390 numerare incepit.

ratione exposuisse. Sed ii errores Polybio imputandi sunt quisquis ei fuit auctor. Non probare possunt, Fabium ei auctorem non fuisse. Et ea quaestio, quisnam ei fuerit auctor, unice de fide Polybio hoc loco habenda decernit. Fieri potuit ut neglegentia quadam unius anni expeditio e Polybii recensione excidisset, et id acciperem si ita vulneri mederetur. Sed plane fieri non potuit ut omnes eas res quas in bellis Gallicis gestas esse Livius tradit, ab eo neglegentia omissae sint; itaque ne illud quidem iure statui potest.

Livius in libris VI—VIII multa bella, triumphos [1]), victorias, dictaturas memoriae tradit, quae si Polybius Fabio usus est, a Fabio silentio praetermissa sint [2]) et vel postea ficta vel postea ex aliarum gentium tablinis in lucem edita sint necesse est. Consensus quidam restituitur inde ab anno 295, quo Fabius Maximus ad Sentinum Gallos profligavit; animadvertendum est etiam inter eas victorias quas Polybius non novit, nullam esse Fabianam. Atqui Livius ipse docere videtur, traditionem suam revera toto coelo discrepare a veteribus annalibus Fabii. Id sensit cum libro VIII ad finem

---

[1]) Actorum triumphorum Capitolinorum ea pars deperdita est quae continet annos 437—362. Ceterum de Gallis ante 295 eidem triumphi memorantur qui a Livio: 360, 358, 350; 295 (etiam a. 361 duo triumphi in fastis memorantur; cum Livius nullum habeat). Eorum auctoritas non maior esse videtur quam annalium quos Livius secutus est.

[2]) Sed cum Polybius etiam alibi soleat triumphos omittere quos auctores eius memoriae mandaverant, fieri potest ut Fabius aliquot triumphos tradiderit, nempe unum vel duo. Triumphum enim Q. Fabii Maximi Rulliani a. 295 post pugnam ad Sentinum actum sane non omiserat Fabius (P. c. 19 § 6). Sed in superioribus Livius saepe de triumpho tradit, ubi Fabius ne pugnatum quidem esse tradiderat.

perducto eos inspexisset. Sed totam suam narrationem delere noluit propter Fabii auctoritatem. Ne hunc enim ipsum quidem rebus Gallicis aequalem fuisse auctorem sibi dixit, et dubitationem suam tantum his verbis edidit, quibus librum VIII concludit: „vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honoremque fallenti mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa. Nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur" [1]. Non opus est ut statuamus omnia ea Liviana e nihilo ficta esse. Polybius tantum memorat magnas et multitudine hostium graves expeditiones Gallorum, quotiens a regionibus Padanis cum magno exercitu Romam petebant, et quasi uno verbo addit quomodo a Romanis accepti sint; sed non omnia refert quae in tali expeditione acciderint, nec magis dicit *omnes* Gallos statim post primum occursum domum rediisse. Multa suadent ut credam, persaepe agmina parva Gallorum totam Italiam peragravisse, et interdum per multos annos peregre, praesertim in Apulia, mansisse. Hi praedones etiam saepius Romanis negotia exhibuerunt, vel soli, vel cum Romanorum hostibus iuncti, quorum fama paullatim ita crevit, ut, inprimis culpa gloriae gentiliciae, magna bella, victoriae, triumphi inde orta sint [2].

---

[1]) Fere idem de hoc loco Nitzsch Röm. Ann. p. 278.

[2]) Galli quibuscum apud Livium debellatur non semper e Gallia recta via veniunt. Sic VII. 25 § 3, a. 350, Galli (post victoriam Camilli) ex Albanis montibus, quia hiemis vim pati nequiverant, per campos maritimaque loca vagi populabantur; § 4 eidem ancipiti proelio cum Graecis praedonibus maritimis certant; c. 26 iterum profligantur a Camillo; mox § 9 primum per Volscos Falernumque agrum dissipati sunt: inde Apuliam ac mare

Ex tali tumultu parvi agminis Gallorum a. 389 post urbem liberatam in Italia relicti ortam esse famam victoriae a Camillo reportatae supra coniecimus [1]). Quidquid id est, nunc apud omnes constat fictam esse victoriam Camilli et thesaurum Gallis ereptum. Quodsi eo loco fere e nihilo ficta sunt proelium, victoria, triumphus, haud minus credibile est illas praedonum incursiones adeo auctas esse. Sed etiam ideo, opinor, oritur perturbatio, quod eaedem narrationes paullum mutatae et ad diversos annos repetitae effecerunt ut ex uno proelio duae vel tres fierent [2]).

Narrationes Polybii et Livii plane discrepant, et fortasse nimium suscipit qui ex iis conquirere studeat

---

inferum petierunt. — Saepissime etiam agmina Gallorum in Apulia permansisse vel novissimos, ab exercitibus dissolutos, ibi perhiemasse et cum alios, tum Romanos lacessivisse apparet e traditionibus ad annum 390 perlatis. Strabo V. c. 2 Gallos ad Sabinos degressos a Caeritibus deletos esse tradit; Diod. XIV. c. 117 narrat eas Veascio (?) oppido (Vulsiniis vel Tusculo) deleto deinde a Camillo esse fusos; Justinus tradit eos in Apuliam perrexisse, inde Dionysio Siculo auxilium suum obtulisse. Cum his cfr. Liv. VI. 42 § 8 (a. 367) „multi Galli caesi vel capti, palati alii Apuliam maxime petentes — ab hoste sese tutati sunt"; VII. c. 11 § 7: Galli (361 post pugnam Manlii) fugiunt in Tiburtem agrum, mox in Campaniam. Redeunt ad auxilium Tiburtinorum et a Servilio dictatore profligantur cum Tiburtinis.

[1]) Vid. supra p. 91 adn.

[2]) Liv. VI. c. 42. Titus Quinctius Pennus est magister equitum in bello Gallico; Liv. VII. c. 9. T. Quinctius Pennus est dictator; Liv. VII. c. 11 § 6, T. Quinctius est magister equitum. — Per omnes libros singulae res saepius repetitae ostendi possunt. Ex gr. bellum Gallicum anni 192 bis narratur Liv. XXXV. c. 22 et c. 40; XXXII. c. 29—31 narratur idem quod iam XXXI. c. 10 et 21 narratum est (cf. Nissen Kr. Unters. p. 96 sq. et 138 sq.), et idem saepe factum est.

quasdam res quae magis minusve conveniant. In ipsa rerum narratione hoc tam difficile est, ut etiamsi aliquid inveniretur quod conveniret tamen admodum dubium esset annon de eadem re sermo esset; sed in tanto dissensu fugere non potest annos quibus cum Gallis pugnatum sit fere eosdem ab utroque scriptore memorari. Itaque anni satis conveniunt excepto illo anno 367, quo Livius „plures auctores" secutus (id est, ut videtur, duo vel tres recentiores) pugnatum esse tradit. Ad eum annum Claudius pugnam Manlii adposuerat (L. VI. c. 42), et a Claudio primum hic annus in eum recensum annorum intrusus esse videtur, cum recentiores pugnam quidem Manlii inde removerint, sed tamen tunc pugnatum esse voluerint. Sed cum ab eo anno discesseris, reliqui hoc modo componi possunt, ut easdem expeditiones Polybio et Livio obversatas esse non incredibile sit;

P. I. c. 6 § 1 sq. Roma capta.	**387**
P. II. c. 18 § 6. Post annos 30 (*παραγενομένων εἰς Ἄλβαν* [1]) *ἔτει τριακοστῷ*)	**358**
Ibid. § 7 P. a. 12 (*ἔτει δωδεκάτῳ*, fuga Gallorum)	**346**
Ibid. § 9 P. a. 13 et 30 (*τρισκαίδεκα ἔτη τὴν ἡσυχίαν ἔσχον — μετὰ δὲ ταῦτα εἰρήνην ἐποιήσαντο* — (c. 19 § 1) *ἐν αἷς ἔτη τριάκοντα*	**333**
μείναντες, αὖθις γενομένου κινήματος —. Cum Etruscis incursionem faciunt in agrum Romanum)	**303**

[1]) In hoc temporis intervallum cadunt, ut primus vidit B. Niese (l. l. p. 409) quinque anni consulibus eponymis carentes, ad seriem annorum ordinandam a Scriptoribus Romanis iniecti, de quibus cfr. Mommsen R. Chr. p. 204 et 209. Quod in annis pugnae ad Sentinum gestae et in reliquis concinunt Pol. et Liv., demonstrat Polybium eos etiam numerare, itaque eum sequi annales Romanos.

P. a. 4 [1]) **299**

Ibid. c. 19 § 5 sq. P. a. 4 (μετὰ δὲ ταῦτα ἔτει τετάρτῳ; pugna ad Sentinum) **295**

Ibid. c. 19 § 7 P. a. 10 (Arretium obsident Galli) **285**

Liv. VI Roma capta **390**

Liv. VII. c. 9—15 § 9 (Cfr. c. 11 § 3: populationes in — — Albano agro **360**) **361—358**

Liv. VII. c. 23—27 **350—349**

Liv. VIII. c. 17 § 6 (a. 332 dictatorem creatum esse tradit ob famam belli Gallici, qui cum exercitum paravisset, invenit omnia quieta esse) **332**

Liv. X. c. 10 (Galli Etruscos socios factos decipiunt) **299**

Liv. X. 26 sqq. (pugna ad Sentinum) **295**

In re obscura mihi liceat coniecturam proponere qua explicetur, quomodo traditio Liviana quodam certe vinculo cum Polybiana cohaereat. Livius enim, vel quisquis fuit qui eam traditionem qualem apud Livium in libris VI—VIII legimus memoriae mandaverit, in describendis bellis Gallicis hanc rationem tenuit. Erat ei copia quaedam partim narrationum, partim fabularum quarum aliae in antiquis annalibus ad certos annos adscriptae erant, aliae, cum tempore non definito e

---

[1]) Quatuor annos apud Livium omissos in aliquot fastis dictatoribus eponymis datos (a. 333, 324, 309, 301), a Polybio non numerari si statuimus, consensus inter Polybium et Livium restitutus est, ut indicavit Niese l. l. p. 410. Eos annos post Fabium demum a scriptoribus Romanis iniectos esse, auctor est Mommsen Röm. Chron. p. 115.

tablinis gentiliciis vel fama populari depromptae essent, non sine libidine ad annum aliquem erant adiectae. Ad illas fabulas pertinent pugna Manlii (VII. c. 9), Valerii Corvi (VII. c. 26), aliae; ad narrationes fama victoriarum a Furio et Quinctio Penno quodam reportatarum, et cum multae aliae victoriae et pugnae tum fama legionis Romanae in agro Camertino fusae et deletae (X. c. 26). Sed non parvum incommodum ei praebebat quod ab aliis annalium auctoribus aliae narrationes omissae erant, ab aliis ad diversos annos appositae, ab aliis non ad Gallos, sed ad alios Romanorum hostes relatae (id factum est X. c. 26). Sed tamen series quaedam annorum satis certa constabat quae ex antiquissimis fortasse libris notata, per varios casus et varia incrementa turbata, eiusmodi tamen vestigia reliquerit ut cum Livius e libris annalium scriptorum tum nos e Livio reliquias eius cognoscamus. Nempe Livius X. 26, postquam cladem exposuit Romanis in agro Camertino allatum „sunt qui, inquit, Umbros fuisse, non Gallos, tradant, nec tantum cladis acceptum." Quomodo Livius hanc opinionem refellit? Non provocat ad maiorem partem auctorum, ut alibi; tantummodo ait: „similius vero est a Gallo hoste quam Umbro eam cladem acceptam, quod *cum saepe alias tum eo anno Gallici tumultus praecipuus terror civitatem tenuit.*" Itaque quod eo anno Romae Galli metuebantur, argumento ei est Gallos hanc cladem Romanis intulisse. Sed unde hoc cognovit? Si ex eisdem libris, argumentum nullum erat. — At, inquis, omnes de metu civium exponebant, aliquot tantum de clade. — Verum, si hoc solum significare vellet Livius id indicasset, neque causa esset cur non statuisset et Gallorum motum eo anno nunciatum esse, et ab Umbris Romanos impugnatos esse. Praeterea, quid sibi vellet

illud „cum saepe alias"? Res hoc modo, opinor, explicanda est. Veterrimi fontes rerum Romanarum, non scriptores dico ut Fabium alios, sed ei annales unde hi cognitionem rerum priscarum Romanarum partim hauserunt, et quorum initia supra tetigimus [1]), breves dabant ad singulos annos adnotationes quibus paucis verbis rem aliquam graviorem amplectebantur [2]). Has breves adnotationes veteres annalium scriptores ut Fabius non solum in libros suos collegerunt, sed etiam narrationibus, quae iam diu tunc conflatae erant et populari traditione vel memoria gentilicia conservabantur eas auxerunt et quasi circumfuderunt [3]). Hoc est illud *μύθωδες* quo ut Dionysius tradit nonnulli scriptores nimis inclinabant (I. 79), quod alteri generi scribendi opponit, *τῷ τῇ ἀληθείᾳ ἐοικότι*. Mirum non est Livium id etiam fecisse et cum in narrationibus maximam licentiam sibi concederet, de illis brevibus adnotationibus nunquam dubitasse annon verae essent, praesertim cum illae apud recentiores perturbatae legerentur, in his antiquiores annales concinerent. Itaque ad hunc annum, ut iam saepe alias breui adnotatum legebat „Gallici tumultus praecipuus terror civitatem tenuit."

---

1) Vid. supr. p. 64 sq.

2) Cfr. Schwegler II. p. 393: „in den ursprünglichen Quellen, den alten Annalen, war nur der kürzeste Inbegriff der wichtigsten Begebenheiten verzeichnet." Exempla e Livio afferunt cum alii tum Peter H. R. R. p. XXV, qui cum iis comparat tabulas pascales Germanas (Ostertafeln).

3) Nitzsch Röm. Ann. id ostendit de traditione Coriolani (p. 57—60); cfr. p. 93: „wir waren veranlaszt anzunehmen, dasz Fabius im Ganzen wesentlich grössere Stücke sagenhafter Erzählungen auch anderer Geschlechter und daneben ganz kurze annalistische Notizen bot, sonst nur ausführliche Stücke aus der Geschichte seines Geschlechts."

Dicere non possumus apud quemnam annalium scriptorem id legerit Livius; credo apud omnes nam eae breves adnotationes e libris alius annalium auctoris ad alius perfluebant, quamquam non semper eandem servabant formam, sed interdum cum prolixioribus narrationibus commiscebantur. Etiam Fabius huic brevi notae magis copiosam narrationem rerum eo tumultu gestarum addidisse videtur, quoniam Polybius eam ex eo hausit.

Hoc modo explicanda esse opinor ea verba Livii. Nullum fere Gallicum bellum describendum habebat quin aliquam perturbationem vel dissensum offenderet in auctoribus quos adhibebat. Saepe id etiam conquestus est. Hic (Claudius VI. c. 42) pugnam Manlii ad aliud bellum referebat; ille (Licinius Macer VII. c. 9) dictatorem Quinctium ob Gallos creatum esse negabat. Mihi persuasum est, Livium satis libere cum illis narrationibus egisse, et id tantum spectavisse ut omnes fabulas, a quocumque traditas, in libros suos colligeret, et, recentioribus annalibus ductus, per singulos annos quasi distribueret. Sed ut hos annos constitueret, neque dubitatione neque licentia opus erat; ei erant ad quos in antiquis annalibus adnotatum legebat: „hoc anno Gallici tumultus praecipuus terror civitatem tenuit", vel „Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere" (VII. 9 § 6), vel aliquid eiusmodi [1]).

Ita factum est ut fere ad eosdem annos apud Livium et Polybium (Fabium) narrationes appositas legamus, quae omnino conciliari non possint, vel ad diversos

---

[1]) Tales breves notae, quas plerasque habet Livius, interdum etiam spectare videntur ad illas praedonum incursiones de quibus supra dixi.

annos narrationes quae aliquam praebeant similitudinem, quasque easdem esse, quamquam minime certum est, tamen non plane incredibile sit. Polybius § 8 ad annum 346 narrat: *οἱ δὲ Γαλάται καταπλαγέντες τὴν ἔφοδον αὐτῶν καὶ διαστασιάσαντες πρὸς σφᾶς νυκτὸς ἐπιγενομένης φυγῇ παραπλησίαν ἐποιήσαντο τὴν ἀποχώρησιν εἰς τὴν οἰκίαν.* Livius (VII. 11 § 1) ad annum 360: „— Gallorum exercitus proxima nocte relictis trepide castris — —"; sed huic initio subtexuit dimicationem Manlii, quam Claudius ad annum 367 apposuerat, et illis verbis addidit proelium quoddam proximo anno a Servilio dictatore contra Gallos cum Tiburtinis coniunctos gestum. — Claudius (Liv. VI. 42) tradiderat anno 367 ad Anienem congressum fuisse, de qua re Fabius siluerat; apud recentiores fontes (plerique auctores, ait Livius) occursus ad Albam factus, quem etiam Fabius memoraverat sed ad annum 358, ab hoc anno tractus erat ad annum 367. Sed ne narratio Claudii perderetur haec ad annum 361 adscripta est. — Licinius Macer (Liv. VII. c. 9) narraverat eo anno 361 dictatorem creatum esse comitiorum habendorum causa; vetustiores annales de dictatore nihil tradebant [1]. Sed ex illa Licinii traditione effectum esse videtur, dictatorem ob Gallos esse creatum. (Is quid gesserit a Livio traditum non est; in actis triumphorum Capitolinis ei ut videtur — quamquam de lacuna explenda non constat — triumphus adscriptus est). — Unum denique

---

[1]) Liv. VII. c. 9 § 5: „cum mentionem, inquit, eius rei (quam Macer tradiderat) in vetustioribus annalibus nullam inveniam magis ut belli Gallici causa dictatorem arbitrer inclinat animus. Eo *certe* anno Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere." Ex his vocibus clare apparet vetustiores annales siluisse de dictatore comitiorum causa creato, sed etiam de dictatore Gallorum causa creato.

etiam huius perturbationis probabile exemplum addam. Polybius (§ 6) narrat anno 358 Gallos cum magno exercitu aggressos esse, sed *τότε μὲν οὐκ ἐτόλμησαν ἀντεξαγαγεῖν Ῥωμαῖοι τὰ στρατόπεδα.* Livius (VII. c. 12 sqq.) ad annum 358 tradit ducem Romanum cum exercitus adversa Gallis castra haberet, copias e castris ducere noluisse et gravem edidisse poenam, si quis iniussu manus consereret. Sed apud eum tandem ducis obstinatio a militibus vincitur, et res in praeclaram Romanorum victoriam et usitatum triumphum exit; quin etiam non minus hic quam in fabula de Camillo a. 390 ne magnum pondus auri quidem Gallis diremtum et in Capitolio saeptum desideratur.

Inde a pugna ad Sentinum commissa (P. c. 19 § 6) vulgo consentit cum vulgata traditione Polybius. Tantum de iis rebus quae excipiunt obsidionem Arretii a Polybio discrepat Livius (peri XII. Oros. III. 22). Is enim tradit cum legati Romani qui ad pacem adhortarentur a Senonibus interfecti essent, bellum iis indictum esse et L. Caecilium praetorem ab iis cum legionibus caesum esse. Apud Polybium Caecilius Arretinus auxilium laturus caesus est, deinde legati a Manio Curio missi ab iis fraude circumveniuntur. Traditiones conciliari nequeunt.

V. Initia belli Punici II.

Pol. III. c. 29.

Quotiens diserte de situ Sagunti oppidi loquitur Livius, recte dicit id situm fuisse Romanis ultra Hiberum, Poenis cis Hiberum, sive Saguntum fuisse in parte meridionali fluminis Hiberi [1]). Cum ea opinione

[1]) L. XXI. c. 5 § 17: „civitas ea (Saguntinorum) longe

consentaneum est quod contendit in foedere cum Hasdrubale facto additum fuisse ut Saguntinis abstineretur, quod nisi additum fuisset, oppugnatio Sagunti ex illo foedere causam belli praebere non potuisset [1]. — Quid hac de re senserit Polybius, locis collatis apparebit. P. III. c. 14 § 9: *ὧν ἡττηθέντων οὐδεὶς ἔτι τῶν ἐντὸς Ἴβηρος ποταμοῦ ῥᾳδίως πρὸς αὐτοὺς (Καρχηδονίους) ἀντοφθαλμεῖν ἐτόλμα πλὴν Ζακανθαίων.* Saguntum ex hoc loco est in parte meridionali Hiberi fluminis. Convenit alius locus III. 17 § 2: *ἡ δὲ πόλις αὕτη κεῖται μὲν ἐπὶ τῷ πρὸς θάλατταν καθήκοντι πρόποδι τῆς Ἰβηρίας καὶ Κελτιβηρίας, ἀπέχει δὲ τῆς θαλάττης ὡς ἑπτὰ στάδια.*

Foedus cum Hasdrubale factum saepe apud Polybium recurrit his verbis: *τὸν Ἴβηρα ποταμὸν μὴ διαβαίνειν.* II. 13 § 7: *τὴν μὲν ἄλλην Ἰβηρίαν παρεσιώπων*

---

opulentissima *ultra Hiberum* fuit, sita passus mille ferme a mari." Liv. XXII. c. 22 § 4 (cfr. alii loci libr. XXIV, XXVIII, passim) Scipio Hiberum traicit et Saguntum ire pergit; § 11 *cis Hiberum* (de Poenis) castra Romana esse ait.

[1]) Liv. XXI. c. 2 § 7: „ut finis utriusque imperii esset amnis Hiberus, Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur." XXI. c. 46 § 6: Hannibal ad milites verba faciens illud foedus memorat his verbis: „ne transieris Hiberum! ne quid rei tibi sit cum Saguntinis!" „at *cis* Hiberum est Saguntum (aiunt Poeni)" „nusquam te vestigio moveris." His locis refutatur Niebuhr (Vortr. ed. Isler 1847 II. p. 68): So vortrefflich P. im allgemeinen ist, so fehlt er doch zuweilen in Einzelnen; er hatte seine Bücher zuerst bis zum perseischen Kriege herausgegeben, eine zweite Ausgabe ging bis zur Einnahme von Corinth, man kann aber klar darlegen dasz er die ersten Bücher in der zweiten Ausgabe nicht überarbeitet hat, und es ist offenbar dasz er die Geographie von Spanien damals gar nicht kannte, höchst wahrscheinlich stellte er sich vor wie es bei Livius offenbar ist (?), Sagunt habe östlich vom Ebro gelegen".

τὸν Ἴβηρα οὐ δεῖν ἐπὶ πολέμῳ διαβαίνειν. III. 15 § 5; 26 § 8; 29 § 3. De Sagunto nihil in eo pactum est.

Si in foedere Hasdrubalis de Saguntinis mentio iniecta non est, oppugnatione Sagunti non violatum est illud foedus. Tamen apud Polybium (III. 21 § 1) ii qui pro Poenis verba faciunt ad legatos Romanos missos ad res repetendas pro Saguntinis, ita culpam foederis violati a civibus suis defendere conantur, ut negent illud foedus Hasdrubalis aut factum esse aut a Senatu suo probatum fuisse. Polybius quia hoc loco non adnotavit oppugnationem Sagunti non pertinere ad foedus Hasdrubalis, putavisse videtur Saguntum in parte Septentrionali fluminis Iberi situm esse, itaque urbem in hoc foedus cadere. Et id diserte dicit alio loco [1]).

Apparet hac in re deseruisse Polybium eam diligentiam quam etiam in rebus levioribus adhibere solet, non vidit se contraria miscere. Probe cognoverat Saguntum in parte meridionali Iberi fluminis situm esse, id apparet e loco quem primum modo laudavi; tamen postea ait oppugnatione Sagunti laesum esse illud foedus quod Poenos vetaret *τὸν Ἴβηρα διαβαίνειν.* Si omnia quae de foederibus Lutatii et Hasdrubalis disserit Polybius, ab ipso inventa et composita sunt, admodum mirum est hunc errorem eum fugisse, quin etiam fides eius labefactetur necesse est, quia speciem summae diligentiae in his rebus perscrutandis ostentat (rem enim duxit per 4 capita, 21, 29, 30, 31). Sed satis

---

[1]) III. c. 30 § 3: *διόπερ εἰ μέν τις τὴν Ζακάνθης ἀπώλειαν αἰτίαν τοῦ πολέμου, συγχωρητέον ἀδίκως ἐξενηνοχέναι τὸν πόλεμον Καρχηδονίους κατά τε τὰς ἐπὶ Λουτατίου συνθήκας* (hoc recte se habet, nam foedere Lutatii conventum erat ut a sociis abstineretur) *κατά τε τὰς ἐπ' Ἀσδρούβου, καθ' ἃς οὐκ ἔδει διαβαίνειν τὸν Ἴβηρα ποταμὸν ἐπὶ πολέμῳ Καρχηδονίους.*

clarum est, credo, eum ab auctoribus suis inductum a via aberravisse. Saepe enim ab aliis hac de re disceptatum erat, et hi omnes non egerant de hac quaestione, num Saguntini in foedus Hasdrubalis caderent, sed quasi id apud omnes constaret, tantummodo hanc quaestionem tractaverant num Hasdrubalis foedus ratum esset et vigeret. Id probis argumentis demonstrare poterant, et Polybius eorum ratiocinatione permotus, ea argumenta exposuit, sed oblitus est eos aliquid demonstrare quod demonstratione minime egeret. Quod ut clarius appareat verba Polybii exscribam:

P. c. 29: *τὰ μὲν οὖν ὑπὸ Καρχηδονίων τότε ῥηθέντα δεδηλώκαμεν* (c. 21), *τὰ δ' ὑπὸ Ῥωμαίων λεγόμενα νῦν ἐροῦμεν, οἷς τότε μὲν οὐκ ἐχρήσαντο διὰ τὸν ἐπὶ τῇ Ζακανθαίων ἀπωλείᾳ θυμόν, λέγεται δὲ πολλάκις καὶ ὑπὸ πολλῶν παρ' αὐτοῖς. πρῶτον μὲν ὅτι τὰς πρὸς Ἀσδρούβου γενομένας ὁμολογίας οὐκ ἀθετητέον, καθάπερ οἱ Καρχηδόνιοι λέγειν ἐθάρρουν, οὐ γὰρ προσέκειτο καθάπερ ἐπί τοῦ Λουτατίου „κυρίας εἶναι ταύτας ἐὰν καί τῷ δήμῳ δόξῃ τῶν Ῥωμαίων·" ἀλλ' αὐτοτελῶς ἐποιήσατο τὰς ὁμολογίας Ἀσδρούβας* [1]).

Liv. XXI. 19 § 3: nam si verborum disceptationis res esset, quid foedus Hasdrubalis cum Lutatii priore foedere quod mutatum est comparandum erat, cum in Lutatii foedere diserte additum esset, ita id ratum fore si populus censuisset, in Hasdrubalis foedere nec exceptum tale quicquam fuerit, et tot annorum silentio ita vivo eo comprobatum sit foedus, ut ne mortuo quidem auctore quicquam mutaretur.

---

[1]) Reliquam partem argumentorum, quam ex eodem fonte fere ad verba exscripsit (nam idem eadem forma apud Livium extat) omitto Vid Pol. III. c. 29 § 4—8, Liv. c. 19 § 4.

Hoc argumentum non ab ipso Polybio inventum esse potest (alioquin enim videre debuit se perperam argumentari), sed, ut ipse dicit, ratiocinationem Romae pervulgatam ab aliis sumpsit. Apposui idem argumentum quale Livius id habet, qui etiam aliud argumentum addidit, ad longum silentium et usum dum viveret Hasdrubal provocans. Livius non e Polybio hausit, non plane eisdem utitur verbis quibus P., sed contra alius invicem quaedam habet quibus caret alius. Livius cum librum XXI scriberet nondum inspexerat Polybium. Nam eorum quae per decem capita (c. 21—30) scripsit Polybius de foederibus Romanorum cum Poenis factis, et quae ipsum composuisse constat, nullum vestigium in Livii libris extat [1]). Si ea quae summi momenti erant omisit Livius, omnino negandum est Livium ea tantum ab eo sumpsisse quae ut ipse Polybius ait apud multos auctores Romanos extabant; quae Polybium non ipsum composuisse nobis apparuit quod in ea parte de situ Sagunti aliter iudicat atque in superiore, quem errorem auctori cuidam neglegentius compilato deberi credibilius erat quam ipsum eum commisisse. Utriusque rationes e fonte uno Romano fluxerunt.

De foedere Hasdrubalis dissentiunt Polybius et Livius. Apud Polybium quotiens foederis mentio fit, his verbis recurrit, *μὴ διαβαίνειν τὸν Ἴβηρα ποταμόν*. Apud Livium contra semper additur, Saguntinos eo foedere diserte exceptos fuisse [2]). Ex his ne quis effecerit, traditiones duas fonte diversas apud utrumque extare. Contra fons idem est, sed res a Livio mutata et per-

---

[1]) Cfr. Schwegler I. p. 110.

[2]) Locis supra laudatis adde hos: Liv. XXI. c 2 § 7; ibid. c. 18 § 9: „atenim eo foedere quod cum Hasdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur"; ibid. c 44 § 6.

versa subtilitate explanata est. Romani quo tempore nuntium accipiebant Sagunti urbis ab Hannibale oppugnatae, credidisse videntur ea oppugnatione foedus cum Hasdrubale ictum violatum esse. De situ Sagunti et Iberi parum cognoverant, sed sciebant Hasdrubali terminum quemdam obstructum esse quem nunc, cum socios oppressos esse nuntiaretur, Hannibalem transgressum esse opinarentur. Ex hac opinione factum est, ut qui primum Romani scriptores res hoc bello gestas memoriae tradiderint, vel de causis belli disseruerint, id inprimis egerint ut probarent, foedus Hasdrubalis ratum esse. Polybius eos exscripsit, errore non animadverso, quamquam de situ Sagunti meliora doctus. Sed cum sive Romani mox intellexissent Saguntum non ad foedus Hasdrubalis pertinere, sive Poeni id ad culpam levandam movissent (Livius hoc Hannibalem excusantem facit, in oratione ad milites habita: „at cis Hiberum est Saguntum") confitendum erat Romanis illud foedus non esse violatum, et ad foedus Lutatii recurrendum iis erat. Hoc tamen non fecit Livius. Ab antiquioribus rerum Romanorum scriptoribus, cum aliis a Catone qui Poenos sexties a foederibus decessisse scripsit, semper foedus Hasdrubalis in rem vocari videbat, ut iniuriam Poenorum manifestam facerent. Hinc Livius sive quod priscum errorem non animadvertisset, sive ut potius credo quod fraudem quam committeret leviorem esse putaret, de suo finxit quasi in foedere diserte Saguntini excepti essent. Priore loco, ubi res gestas tradit, id cum quadam dubitatione fecit, et ita ut non satis clare appareat utrum id in foedere pactum esse voluerit an e foedere necessario sequi [1]). Sed postea

[1]) Liv. XXI. c. 2 § 7 „cum hoc Hasdrubale — foedus renovaverat P R., ut finis utriusque imperii esset amnis Hiberus,

in orationibus maiore licentia sibi data, Poenos id diserte confitentes facit. Ut igitur Polybius neglegentiae culpam contraxerit, Livius fraudis crimine absolvi non posse videtur.

Eum autem auctorem qui, cum crederet Saguntum in parte septentionali Iberi fluminis situm esse, recta et acuta argumentatione probavit foedus Hasdrubalis ratum esse ideoque violatum, simul foedus Lutatii etiam violatum esse a Poenis, Fabium esse mihi persuasum est. Constat eam argumentationem esse Romani scriptoris. Deinde quod solum satis rem probat, novimus Fabium contendisse, *iniurias Saguntinis allatas fuisse causam* iustam huius belli [1]). Iis verbis *λέγεται δὲ πολλάκις καὶ ὑπὸ πολλῶν παρ' αὐτοῖς* Polybius fortasse indicare voluit multos auctores post Fabium eius rationes probavisse et repetivisse. Ab aliquo ex iis Livius eas recepit, qui certe ipse Fabio usus non sit, nam quae de causis belli reliquis Fabius statuit, aliena sunt a sententia Liviana.

Denique ea quae in hac parte libri III assequi vult Polybius, ostendunt Fabium esse auctorem communem Polybii c. 29 Livii c. 19 § 1—5. Polybius enim c. 6 sq. exponit causas belli Hannibalici quales suo tempore fere a civibus et a scriptoribus Romanis ferri solebant, inter quos etiam Fabium esse docet initium capitis octavi. C. 8 ad Fabium solum se vertit P., qui etiam aliam belli causam attulisset superbiam Hasdrubalis. C. 9 § 6 — c. 12 P. exponit causam belli quam vulgo a Romanis iniuria neglegi videbat, iram Poenorum. Sed tamen agnoscit Romanos iure illa foedera movisse

---

Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur."

[1]) Pol. III. c. 8 § 1.

et oppugnationem Sagunti, qua de re etiam diligentius inquirit c. 21 ubi exponit quid attulerint Poenorum oratores ad culpam suam levandam. Hoc consilio ductus c. 22—28 foedera repetit olim a Romanis cum Poenis icta; c. 29 exponit quomodo Romani probaverint ea a Poenis violata esse, denique c. 30 concludit addens quid de hac accusatione ipse censeat, et confitetur Romanos recte hoc conqueri, Poenos frustra se excusare.

Magnae laudi Polybio est ducendum quod rem iam toties expositam et tritam denuo tractare suscepit, utriusque partis argumenta e Fabio et ex auctore quodam Carthaginiensi cum cura ponderans; sed etiam quod neutrius auctoritate deceptus nova argumenta indagavit et clare exposuit hoc bellum etiamsi sexcenta foedera a Poenis violata essent, iis fuisse non solum necessarium, sed etiam iustissimum. Quae praemittit c. 6 sq. de verbis causa, praetextus, initia, inutilia nobis videntur; lubrica via ingressus est cum definire conaretur verbum „causa", neque nos ea secuturi sumus. Deinde ut supra exposui, summae temeritatis (ἀλογίας) frustra accusat Fabium, cum is dixisset neminem τῶν ἀξιολόγων probavisse Hannibalem, sed a popularibus mox superabantur. Tamen recte Fabium refutavit Polybius, causas belli ad Hasdrubalis superbiam referentem. Fabius causas belli ita explicavit ut a viro senatorii ordinis, qui eo ipso tempore vel paullo post rempublicam administraverit, expectari possit. Senatui Romano haud ignotum erat, magnam Poenorum partem, et eam quidem quae ex amplissimis viris constaret, magistratibus, senatoribus, centumviris, cui dux et auspex esset Hanno, summopere studere ut pacem servarent, qua sola contra populi licentiam et gentis Barcinae gratiam crescentem se defendere pos-

sent. Probabile quidem non est, hos cum Romanis metus suos et odium Barcarum per litteras communicavisse; nihil egissent nisi bellum quod metuerent properare [1]; sed tamen non minus quam illi senatus Romanus nihil non sibi metuendum esse videbat a factione Barcina. Ea multitudo bellicosa, cuius gratia Hasdrubal utebatur, contemnebatur [2] a viro bono loco orto, ut Fabio; optimates Carthaginienses, quamquam numero inferiores, gravissimi viri videbantur Fabio, non numero sed pondere eos iudicanti (et revera optimates grave onus fuerunt et Carthagini et Romae), ita ut diceret **οὐδένα τῶν ἀξιολόγων** Hannibalis incepta probavisse. Fabius igitur omnem culpam belli in Barcas conferebat. Neque mirum est *Hasdrubali* maiorem culpam belli incensi eum imputavisse quam *Hamilcari*. Illius factionis enim Hasdrubal fuit princeps, non Hamilcar, quamquam hic et ingenio praestabat et multo plus effecit. Opibus et gratia Hasdrubalis Hamilcar turpe iudicium effugit [3]; de Hasdrubale Nepos tradit [4] „quod Hamilcare occiso ille exercitui praefuit resque magnas gessit et princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginiensium", minus recte id quidem, nam Appianus [5] *ὅσα* inquit **λάβοι (Ἀμίλκας ἐν Ἰβηρίᾳ) διῄρει, καὶ τὰ μὲν ἐς τὸν στρατὸν ἀνάλισκεν, ἵνα προθυμότερον αὐτῷ συναδικοῖεν, τὰ δ' ἐς αὐτὴν ἔπεμπε Καρχηδόνα, τὰ δὲ τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ πολιτευομένοις διεδίδου.** Sed ex his

---

1) Cfr. Mommsen Röm. Gesch. I. p. 566 (ed. VI).

2) Fortasse ab eo orta sunt quae Diod. XXV. c. 8 scribit: Ἀμίλκας συστησάμενος ἑταιρείαν τῶν πονηροτάτων ἀνθρώπων.

3) App. Hib. c. 4: θεραπεύσας τοὺς πολιτευομένους, ὧν ἦν δημοκοπικώτατος Ἀσδρούβας ὁ τὴν αὐτοῦ Βάρκα θυγατέρα ἔχων, τάς τε δίκας διεκρούετο.

4) Nepos Hamilc. c. 3.

5) App. Hiber. c. 5.

colligo Hamilcarem opes in Hispania collectas ad *Hasdrubalem* Carthaginem misisse, ut hic largiendo populi gratiam conciliaret. Revera igitur Hamilcar fuit qui et ingenio suo et rebus bello gestis praesertim in Hispania bellum Hannibalicum praeparaverit; sed facile intellegitur Fabio visum esse omnis culpae auctorem Hasdrubalem, ducem populi, largitorem, adversarium senatui Poenorum et parti pacis studiosae, qui primo fuisset tutor et sequester soceri apud populum, deinde in Hispania eius vestigia premeret.

Polybius autem cum a Fabii angusta et iniqua ratione prorsus decederet, ad eum locum elatiorem ascendit, quo sine ira et studio de rebus memoriae traditis arbitrium facere posset. Itaque causam belli Hannibalici inesse contendit in iniuriis a Romanis paullo post belli Punici I finem Poenis allatis [1]); hoc bellum iustum et sanctum fuisse Carthaginiensibus censet [2]). In primis *Hamilcarem* auctorem belli fuisse contendit et ab eo filium ad inimicitiam capitalem contra Romanos esse educatum, quod etiam nota iurisiurandi narratione affirmat, hoc urgens contra Fabii errores [3]). Usui autem Polybio fuit quod e fontibus suis non Romanis imaginem puriorem accepit summi illius hominis Hamilcaris et rerum a factione Barcina gestarum, cuius rei etiam in descriptione belli Poenorum in Africa gesti clara signa adsunt.

Fontis Carthaginiensis etiam aliud vestigium hac in parte extat. Res ante Sagunti excidium ea in urbe gestas Polybius hoc modo exponit: Saguntini bellis intestinis divulsi [4]), multis annis antequam Hannibal

---

1) Cfr. P. I. c. 65 § 8 sq; et III. c. 9 § 6 — 10 § 6.
2) P. III. c. 30 § 4.
3) P. III. c. 10 § 7.
4) III. 15 § 7; III. 30 § 2.

res Poenorum in Hispania gereret [1]) ad Senatum Romanum arbitrium detulerunt [2]); Romani autem superbius munere functi aliquot e magistratibus Saguntinorum vel e viris nobilissimis capite damnaverunt [3]). Itaque constat, ait Polybius, Saguntinos iam tum in Romanorum fidem et societatem esse acceptos, neque de re dubitari potest, quoniam *ipsi Carthaginienses eam ita factam esse concedunt* [4]). Accedit quod de legatis quos primos ad Hannibalem miserunt Romani, Polybius longe aliter exponit quam ceteri scriptores. Ait enim Hannibalem cum Carthagenae degeret eos ad colloquium admisisse, et cum pro Saguntinis verba facerent, iis crudelitatem exprobravisse, qua antea Romani viros illos nobiles necavissent [5]); legatos inde Carthaginem iter fecisse, ibique Poenis bellum indixisse, cum primum fines Saguntinorum exercitu invasuri fuissent [6]). Livius tradit his legatis (Valerio Flacco et Baebio Tamphilo, XXI. c. 6) cum ad oram Hispaniae appulissent obviam ad mare missos esse ab Hannibale qui dicerent nec tuto eos adituros esse nec imperatori in tanto discrimine rerum operae esse legationes audire (c. 9). Appianus tradit etiam Hannibalem legatis colloquendi potestatem non fecisse (Iber c. 11). — De rebus antea gestis uterque traditionem Romanam edit, et hanc quidem Appianus: Hannibal Torboletos, ab ipso contra Saguntum excitatos, legatos ad se mittere iubet, et legationem Saguntinam arcessit; utrosque

1) III. 30 § 1 „πλείοσιν ἔτεσιν ἤδη πρότερον τῶν κατ' Ἀννίβου καιρῶν. Sed c. 15 § 7 „μικροῖς ἔμπροσθεν χρόνοις".

2) III. 15 § 7; c. 30 § 1.

3) III. 15 § 7: διότι ... ἐπανέλοιντό τινας τῶν προεστώτων.

4) III. 30 § 2.

5) III. c. 15 § 4—6.

6) III. c. 20 § 2.

iubet causam apud se dicere. Sed legati Saguntini hoc facturos se esse negant, contra Romanis se causam suam dedituros esse (Ῥωμαίοις ἔφασαν ἐπιτρέψειν τὴν δίκην). Tum eos iratus dimisit, et ad Saguntum castra movit. — Livius pauca tantum tradit quae ex Appiano illustrari debent; XXVII. 39 (in oratione Saguntinorum) eos dicentes facit Turdulos veteres sibi hostes esse, qui priores quoque excidii causa nobis fuerunt. XXI. c. 6 haec tantum ait: certamina serebantur cum Turdetanis; quibus cum adesset idem qui litis erat sator, nec *certamen iuris*, sed vim quaeri appareret, legati a Saguntinis Romam missi sunt. Itaque traditio Romana arbitrium a Saguntinis Romanis delatum, quod multis annis ante factum erat, ad Hannibalis tempora traxit, et rem ad bellum cum Turdulis gestum (quos Pol. non novit), transtulit. Polybius e fonte Carthaginiensi verum didicisse mihi videtur.

Etiam duos auctores hac in parte laudavit, Chaerean et Sosylum [1]), de quibus cum acerbe iudicet Polybius tum in rebus certe Romanis non magnam fidem iis habuit. Hi enim et fortasse alii auctores [2]) tradiderant patres Romanos, nuntio Sagunti deleti Romam perlato, in curiam convocatos tum demum de bello Poenis indicendo consuluisse, et filios duodecim annis maiores natu in curiam ab iis ductos esse et deliberationi parentum interfuisse [3]). Etiam orationes composuerant ei auctores quibus pro bello et pace sententiae dictae

---

[1]) Hoc Sosylo Hannibal litterarum Graecarum usus est doctore, et cum eo in castris fuit simulque vixit quamdiu fortuna passa est, Nepos Hann. c. 13. Septem libris res Hannibalis absolvit. Diod. XXVI. c. 4.

[2]) III. 20 § 1: ἔνιοι τῶν συγγραφέων. § 5: τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων οἷα γράφει Χαιρέας καὶ Σώσυλος.

[3]) P. III. 20 § 2— 4.

essent, hac occasione usi credo ut de causis et iure belli lectores certiores facerent [1]). Concedendum quidem est, hanc narrationem minime quadrare cum iis quae tradidit Polybius, nam eo auctore iam ante annum legati Romani Poenis bellum indixerant nisi Sagunto abstinerent. Sed cum narratione Appiani conciliari potest. Is enim negat iam ante annum bellum a Senatu destinatum fuisse; contra edit in Senatu, cum Saguntum iam opprimeretur, hanc sententiam vicisse, Saguntinos non esse socios Romanos, sed libertatem iis vindicatam esse, et cum libertate nondum privati essent, belli causam nullam esse (Hib. c. 11 cfr. Liv. c. 6 sq.); atqui si ita res se habuit, denuo senatus deliberaverit necesse est post excidium Sagunti. Livius quamquam tum etiam in Senatu dubitatum esse non dicit, tamen senatum consuluisse de bello ait: „tantus moeror patres metusque de summa rerum cepit, ut tot uno tempore motibus animi turbati trepidarent magis quam consulerent" (XXI. 16); et addit causas metus. Itaque quod Chaereas, Sosylas alii narraverant, satis convenit cum traditione Romana; neque haec gravis est culpa quod in senatu aliquot sententias pro pace dictas esse fortasse finxerint, ut hac ratione etiam argumenta et opiniones alterius partis lectori exponerent. Itaque Polybius multo acerbiorem in eos se praebet; quamquam persuasum mihi est eum ab auctore meliore edoctum res melius exposuisse.

Bellum Punicum II.

Polybius diligenter persecutus est [2]) res Hannibalis a. 229—216; res a Scipionibus in Hispania gestis a.

---

[1]) III c. 20 § 1.

[2]) E traditione Polybii haec supersunt: a. **220** et **219**: III.

218—206; res in Sicilia a Poenis, Siculis, Romanis gestas ab Hieronymo ad Marcellum a. 215—212; etiam diligenter egit de rebus urbium Graecarum in Italia, Tarenti, Thuriorum, Locrorum. Sed praeter has de rebus 216—203 ab Hannibale in Italia gestis pauca tantum et brevia nobis extant fragmenta; de proeliis contra Fabium et Marcellum ambiguo vel adverso eventu gestis, qualia Livius multa tradit, num egerit e fragmentis non constat.

Plutarchus ait [1]: Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μεν οἱ

13—15 et 17, Saguntum; c. 20—29 de causis belli; a **219** et **218** in.: c. 33 sq. Hispania; c. 40 bellum cum Boiis et Insubribus. a **218**: III. c. 41—75 Hann. in Italia; **218** sq. c. 41 et 76 et 95—99 Scipio in Hispania; a. **217** et **216**: c. 77—94 et 99—118 Hann. in Italia; a. **216** VI. c. 58; **216** VII. c. 1 Capua capta, Petelini; **215** VII. c. 2—8 (Liv. XXIV. c. 4—7) res Hieronymi; **214**: VIII. c. 4 fin. (Liv. XXIV. c. 21—39) Res in Sicilia gestae; **212**: VIII c. 26—37 Oppugnatio Tarenti; **212** VIII. 1 Mors Gracchi; **212** P. ap. Liv. XXV. c. 15 defectio Thurinorum; **212** VIII. c. 37 § 1—5 (P. ap. Liv. XXV. c. 23—31) Syracusae captae; **211** P. VIII. 37 § 6 Mors Cn. Scipionis in Hispania; **211**: IX. c. 3—7. Hann. ad Capuam et ad Romam; **211**: c. 9 § 11 (P. ab Liv. XXVI. c. 20 fin.) classis punica ad Tarentum; c. 22—26 ingenium Hannibalis; **210** P. ap. Liv. XXVI c. 39 proelium navale ad Tarentum; **209**: X. c. 1. Fabius ad Tarentum; **210** fin. et **209**: C. 2—20. Scipio Carthagenam capit; **208**: c. 32 mors Marcelli; c. 33 § 1—6 laus Hannibalis; **208**: c. 33 § 7. Hann. ad Salapiam frustratur; **208** (Livio 209): c. 34—40, Scipio prope Baeculam vincit; **207**: XI. c. 1—3 pugna ad Metaurum; c. 19 laus Hannibalis; **206** c. 20—24 Scipio ad Baeculam vincit Hasdr. Gisgonis; **206** c. 24a—33 Scipio in Hisp.; seditio militum; **205** XII c. 5 Locri (Scipio Locros capit); **214** fin., **213**: XIV. c. 1b—10 Scipio in Africa; **203** fin. et **202** XV. c. 1—19 Scipio in Afr.; pax.

[1]) Comp. Pelop. et Marc. c. 1.

περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδ' ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητος ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκιπίωνος. Non credibile est Polybium diserte dixisse, Marcellum nunquam de Hannibale victoriam reportavisse; Plutarchus spectat ad haec Polybii verba: XV. 16 § 5 (a. 202): (*Ἀννίβας*) *τὸν πρὸ τοῦ χρόνον ἀήττητος ὤν*; et antea IX. c. 3 § 8 (a. 211) *Καρχηδόνιοί τε ἀδιαλείπτως νικῶντες ταῖς μάχαις.* Sed ex iis satis apparet, proelia in Campania, Apulia, Lucania, cum Marcello gesta non diligenter ut a Livio a Polybio esse tractata. Concedit quidem Hannibalem aliquoties in angustiis fuisse, sed tamen ante 211 Romani semper victi, Poeni victores [1]). De illa voce *ἀήττητος* inter scriptores superioris aetatis quasi contentio quaedam fuit; Plutarchus Marc. c. 11 eam reicit [2]), idem repetit in Compar. Pelopidae et Marcelli c. 1, et Livii, Caesaris, Nepotis, Iubae regis testimonio laudato affirmat *ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι.* Contra Diodorus hanc gloriam Hannibali diserte vindicat [3]), Polybium secutus; et idem nimis auctum legitur in iis quae nobis de Cornelii supersunt [4]). Nepos perperam ad annum 203 rettulit, quae ad annum 211, statuerat Polybius.

Primum recensebimus quae ante 211 apud Livium illi Hannibalis laudi obstare videntur.

---

[1]) IX. 3 § 8 (a. 211) (Poeni) *οὐχ ἧττον ἐν ἐνίοις καιροῖς ἐδυσχρηστοῦντο τῶν ἡττωμένων.*

[2]) *ὡς οὐχὶ πρὸς ἄμαχον, οὐδ' ἀήττητον, ἀλλά τι καὶ παθεῖν δυνάμενον διαγωνιζομένοις πολέμιον.* Res inter Plutarchum et Polybium ad contentionem de voce, non de rebus, redit.

[3]) Diod. XXIX. c. 19; c. 20 bis.

[4]) Hann. c. 5 fin. „quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo advorsus eum post Cannensem pugnam in Campo castra posuit. Hinc *invictus* patriam defensum revocatus . . .". Num aliud quid legit Plutarchus?

Liv. XXIII. c. 16 (a. 216). Capua ab Hannibale capta, cum M. Iunius dictator ad Casinum exercitum haberet, Marcellus praetor Nolam missus sub adventum hostium intra muros se recepit. Hannibal cum crederet plebem Nolanam secum facturam esse ad muros accessit et apparatum oppugnandae urbis adferri e castris iussit; tum Romani milites e tribus simul portis erumpunt et in exercitum Poenorum turbam aliquam inferunt; Hannibal paullo post spe potiundae Nolae adempta copias inde abduxit. — De hac re Livius, „vix equidem, inquit, ausim adfirmare, quod quidam auctores sunt, 2800 hostium caesos non plus quingentis Romanorum amissis." Sane eadem res vel plane similis ad multa alia Italiae oppida Hannibali hoc bello accidit; sic (Liv. c. 18) parvum praesidium Casilini eruptione facta copias Hannibalis ab oppugnatione desistere cogit; insequenti anno (a. 215, Liv. c. 37) Gracchus eruptione facta a Cumis Hannibalem propulsat; ad 1300 Carthaginienses caesi et 59 vivi capti, de quibus numeris non minus quam de illo dubitare licebit. Eodem anno (Liv. c. 44) Nolam denuo frustra oppugnat Hannibal; Romani per eruptionem 300 caedunt, ipsi 50 milites amittunt. Anno 214 (Liv. XXIV. c. 13) Hannibal triduum ad Puteolos moratus, cum ab omni parte frustra temptavisset praesidium, re infecta abiit. — Omnia haec incepta male cesserunt Hannibali; quod primum ex iis evenit, a. 216 ad Nolam, ideo Romanis grave et memorabile fuit, quod tum primum post Cannas milites Romani Poenis prospere restiterunt [1]), et

---

[1]) Livius (XXIII. c. 16) „sed sive tanta sive minor victoria fuit, ingens eo die res ac nescio an maxima illo bello gesta sit, non vinci enim ab Hannibale vincentibus difficilius fuit, quam postea vincere". Cic Brut. 3. 12: „atque ut, post can-

quod magni momenti erat, seditiosam plebem Campaniae oppidi oppressam tenuerunt. Sed ob has pugnas, quas etiam Polybius memorat (IX. 3 § 6: *'Ρωμαῖοι οὔτ' εἴκειν οἷοί τ' ἦσαν* (immo vero legendum *οἷοι ἦσαν*) *οὔτ' ἐκχωρεῖν ἐκ τῶν ὑπαιθρίων*), Hannibal victus esse dici non potest, non magis quam ob alias res minus feliciter gestas quas tradit Livius his locis: XXIV. c. 17. a. 214 (Marcellus ad Nolam equitibus praemissis qui agmini hostium a tergo se obicerent, praelium cum Hannibale committit, sed cum equites non adessent in tempore, fere aequo marte pugnatum est, quamquam, ait Livius, superior quidem haud dubie Romanus erat. „Plus tamen 2000 hostium eo die caesa traduntur, Romanis minus 400.) Ibid. c. 19 a. 214 (Marcellus cum Fabio Casilinum obsidens per fraudem urbem capit, et 700 milites Hannibalis, praesidium Punicum, captivos Romam mittit). Etiamsi haec detrimenta revera passus est Hannibal, quod equidem negare nolim, Polybio fides esse potest; neque cum iis comparari possunt graves clades quas a. 212 Romanos accepisse tradit Livius (XXV. c. 19 M. Centenii Penulae copiae, 8000 Romanorum, ab Hannibale deletae; c. 21 Cn. Fulvius praetor cui 18000 militum erant in Apulia ab Hannibale occisus et 16000 Rom. caesa vel capta; add. XXV. c. 18). Neque magis cum Polybio pugnant quos Livius tradit varii belli casus ab Hannone cum exercitu Italicorum sustenti XXIV. c. 16 a. 214 (gravi clade eum affligit Gracchus); ibid. c. 20 a. 214 (magnam victoriam ab eodem refert); XXV. c. 14 a. 212 (Fulvius eius castra oppugnat). Sed ex iis ostendi potest, quam

---

nensem illam calamitatem, primum Marcelli ad Nolam praelio populus se Romanus erexit, posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt...".

parva fide dignae sint hae Livii narrationes, e pluribus annalium scriptorum libris compositae, quantum praesertim in numeris saepe erraverit. XXIV. c. 15 sq. a. 214 enim Hanno cum 17000 Bruttiorum et Lucanorum, 2000 equitum, ad Beneventum castra habet; Gracchus eius aciem aggreditur, et tam prorsus profligat, ut *minus* 2000 hominum e tanto exercitu, et ea maior pars equitum, cum ipso duce, effugerunt; alii omnes, fere 17000, caesi aut capti. At paullo post (c. 20 in.) Hanno denuo Graccho in Lucanis occurrit, et tum Hanno Romanos adortus „haud multo minorem quam ad Beneventum acceperat reddidit hosti cladem." His solis verbis tam magnifica Hannonis victoria absolvitur; Livius ipse, credo, sensit id absurdum esse, ducem cui e proelio adverso 2000 militum relicta essent, eadem aestate exercitum reparavisse et statim victorem aggressum sua vice his novis copiis fere 17000 Romanorum cecidisse vel cepisse. — Neque solum de his numeris dubitare licet; etiam illos, ut supra ostendi, Livius ipse nonnisi cum dubitatione tradidit, quales in haec annalium libro, quem forte in manibus habebat, etiam (XXIII. c. 16 de prima pugna ad Nolam „*vix equidem ausim affirmare*, quod quidam auctores sunt; 2800 hostium caesos non plus 500 Romanis amissis"; XXIV. c. 17 „plus 2000 hostium caesa *traduntur*"; XXVI. c. 6 de pugna ad Capuam a. 211 graviter dissentiunt auctores; XXVII. c. 1 a. 210 de clade in Cn. Fulvii praetoris ad Herdoneam „Romanorum sociorumque quot caesa in eo proelio milia sint, *quis pro certo adfirmet*, cum 13000 alibi, alibi haud plus quam 7000 inveniam").

Haec de Livii fide praemittenda erant antequam cum Polybii testimonio (*Καρχ. ἀδιαλείπτως νικῶντες*) compararemus quae maxime cum eo pugnat narrationem

victoriae a Marcello ad Nolam relatae anno 215 postquam denuo frustra urbem oppugnaverat Hannibal (Liv. XXIII. c. 45 et 46) [1]. Livius parum accurate hanc pugnam describit, ait tantum Poenos omni parte pulsos terga dedisse atque in castra compulsos esse, et hos numeros addit: hostium plus 5000 caesa eo die, vivi capti 600 et signa militaria 19 et 2 elephanti, 4 in acie occisi, Romanorum minus 1000 interfecti, 272 Numidae ad Romanos transfugerunt. Hos numeros ex eadem officina promptos esse qua illos verisimile est; et hoc loco et illis numerus Romanorum caesorum ponitur fere sexta pars numeri Poenorum caesorum et captorum. —

De rebus 216—211 ab Hannibale gestis nihil Polybianum nobis superest, et ut dixi de iis accurate egisse Polybium non credo. Sed ad annum 211 (P. IX. c. 3 sqq., Hannibal et consules Romani ad Capuam) paucis verbis Polybius statum belli exposuit. Dicit (§ 6) Romanos post magnas et multas clades acceptas (Trasimennum, Cannae) in Campo castra ponere et acie[illegible] resistere nondum ausos esse, tantum oppida It[illegible] (Nolam, Puteolos, Cumas, alia multa) summa pert[illegible] et constantia defendisse; eos propter equitum Numidarum metum in locos planos non descendisse, sed in montium oppositorum oris copias ducentes eos Hannibali procedenti instare solitos esse (§ 7); eo magis id esse admirandum, quod hoc primum anno (211) a locis altis descenderint et in campo castris positis Capuam urbem munitissimam obsidere induxerint. Scimus autem hunc

[1]) W. Ihne (Röm. Gesch. Lips. 1868 II. p. 227 adn. 181) statuit proeliorum ad Nolam gestorum narrationes quas Liv. tres edit (XXIII 14, XXIII. 43—46, XXIV. 17) omnes ad unum proelium pertinere, quod errore ter repetivisset Livius.

fuisse belli gerendi morem a Fabio institutum a. 217 (cfr. Liv. XXII. c. 12); hanc rationem igitur diutius tenuisse Romanos ait Polybius, ad annum 211. — Livius id minime concedit; contra ita auget et tam prolixe exponit omnia incepta quae minus prospere Hannibali cesserunt, omnia parva detrimenta ab eo capta, ut fere oblitus esse videatur quam ingens periculum Romano nomini etiam tum immineret, quam formidolosus adversarius iis annis 216—211 Hannibal cum exercitu suo victore Romanis fuerit; ita res exposuit ut facile lectorem opinio fallere posset quasi iam obsoleverint vires Hannibalis, et viribus Romanis vulgo inferiores fuerint. Sic etiam eo loco rem admodum exaggeravit, ubi dicit: „itaque hercule, velut si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil usquam pristinae disciplinae tenuit" (XXIII. c. 18), et eo loco ubi Marcellum dicentem inducit (a. 215 ad Nolam) „Capuam Hannibali Cannas fuisse, ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi praeteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam" (XXIII. c. 45); et merito haec omnia paullo post retractare debuit [1]. — Tamen etiam in Livii narratione eiusmodi signa insunt, e quibus fere invito auctore augurari possit quantopere Romanis superior etiam tum fuerit Hannibal, quam caute ducibus Romanis agendum fuerit ne novis cladibus obruerentur. Non solum iisdem quibus Polybius verbis pavorem et trepidationem civium Romanorum exponit cum a. 211 Hannibal ad urbem castra haberet (XXVI. c. 9.) sed etiam ipsis consulibus et praetoribus magnae

[1]) XXVIII. c. 12 „ac nescio an mirabilior adversis quam secundis rebus fuerit (Hannibal), quippe qui — ita quodam vinculo copulaverat eos (milites suos), ut *nulla nec inter ipsos nec adversus ducem seditio extiterit*" cfr. P. XI. c 19.

formidini fuisse Hannibalis copias apparet. Sic XXIII. c. 36 a. 215 Gracchus consul postquam ab Hannibale metuens Cumas se propere recepit, Cumis, in urbe munita, substitisse dicitur magis verecundia in tali necessitate deserendi socios quam satis fidens exercitui (volones erant). — Eodem tempore cum Gracchus Cumis esset, Fabius alter consul Volturnum flumen traducere non audet, metu revera Hannibalis, sed specie prodigiorum nuntiatorum. Sic et Gracchus (XXIII. c. 37) cum Cumas, et Marcellus cum Nolam (ibid. c. 43 a. 215) oppugnare conaretur Hannibal, copias intra moenia sedulo tenuerunt, certamen semper abnuentes; et quoties aliter agunt duces Romani, clades aliqua eos ad prudentiam revocat, sic XXV. 18. a. 212 consules in Campania quodam detrimento afficit Mago, et „intentiores, inquit L., ad cavendum consules una pugna fecerat incaute atque inconsulte inita" (cfr. XXV. c. 19, c. 21; XXVII. c. 1). Omnino maxima Romanis salus etiam e mente Livii inest in proelio detrectando; Hannibal, quamquam semper invictus, aliquoties ab inceptis suis cum detrimento desistere coactus fuit, rare tantum victor esse potuit.

Cur Polybius tam brevi tangit res 216—211 in Italia contra Hannibalem gestas? Sunt, opinor, qui ut in bello Punico I, studio et irae adversus Romanos id tribuendum esse censeant; quod tamen minime verum est. Omnibus locis quibus grave periculum ab Hannibale Romanis imminens proposuit Polybius, occasionem arripit ostendendi quanta virtus, quantum robus reipublicae et civitati Romanis fuerit necesse sit, qua tales sustinuerint calamitates [1]. Itaque etiamsi vires Hannibalis hoc loco nimis auxisset, id ad maiorem

---

[1]) Cfr. III. 75 § 8; VIII. c. 3, et passim libro I.

Romani nominis gloriam fecisset; revera haec capita Polybii [1]) multo magis idonea sunt quae ad Romani ingenii admirationem lectores moveant, quam res gestae a Livio diligenter sed frigide expositae.

Polybius aliis locis huius rei causam exposuit; omnium bellorum res etiam minutiores persequi neque potuit neque voluit [2]). Quodsi vitium est, hoc vitium consulto et conscius admittit. Sed in alia parte operis diserte postulavit, et id quidem, opinor, suo iure, ut suo iudicio permitteretur quid diligenter tradendum esse, quid omitti vel paucis absolvi posse sibi videretur, nisi veritate, τέλει ἱστορίας, iniungeretur detrimentum [3]). Hoc loco eius iudicium probare possumus. Ad cognitionem belli Hannibalici non multum faciunt singulae res his annis gestae, modo exponatur quo eventu fere pugnatum sit; cum singula etiam leviora persequi Livio et lectoribus Romanis cordi fuisse aequum sit, Polybio et civibus eius Graecis haec minoris erant momenti. Neque in Romanos iniquum se praebuit Polybius; unius Marcelli merita et laudem hoc loco tangere potuisset; eiusque gloriam fortasse aliquatenus a Fabio dictatore et speciosis Scipionis meritis oblitterari passus est, nisi fortasse alio loco nunc deperdito suum Marcello tribuit.

Itaque nihil est cur statuamus, Polybium hac in parte fonti Carthaginiensi vel Siculo se dedisse, qui studio partium inductus gloriam Romanorum impugnasset. Contra Pol. VII. c. 1 (de Petelinis) traditionem Romanam eandem quam Livius sequitur; IX. c. 3—7 auctores duos quorum alter auctor est Livii Romanus adhibuit et contraxit. *Victor* Hannibal his annis dici

---

[1]) IX. c. 3—9; inprimis c. 3 § 5—8; c. 9 § 6—10.
[2]) XV. c. 36 § 4 sq. Cfr. VI. c. 11a § 7 sq.
[3]) XXIX. c. 6a § 4, cfr. VI. c. 11a § 7 sq.

potest, non quod omnia incepta ei prospere cesserint, sed quod nusquam acie victus exercitum semper integrum „intactum” servavit [1]). Ad res singulas cognoscendas Livius nobis utilis et fortasse satis fidus auctor; sed cum aliquot numeros caesorum et captorum constet postea demum post Polybium ab annalium scriptoribus fictos esse, ut eo clarius appareret Romanos victores fuisse, de multis numeris Livii auctores vehementer dissentiant, iis omnino fides deneganda est.

De rebus 211—203 ab Hannibale gestis quae scripsit Polybius non omnia supersunt; ad annum 211 enarravit obsidionem Capuae, ad a. 208 exposuit mortem Marcelli et quae deinceps acta sunt, dolum frustratum quo Salapiam capere conatus est. Praeterea ad annos 211 (IX. 22—26), 208 (X. c. 33 § 1—6) 206 (XI. c. 19) quae scripsit Polybius de ingenio Hannibalis supersunt. Ex eo loco XI. 19 § 3 apparet ad annos 206—203 eum non apposuisse res ab Hannibale in Italia gestas. Dicit enim (ad a. 206): *Ἀννίβας ἑκκαίδεκα πολεμήσας ἔτη κατὰ τὴν Ἰταλίαν* (quod mutavit ex eodem fonte quo Livius XXVIII c. 12 „per annos *tre*decim”), et ideo numerum annorum mutavit quod de annis subsequentibus diligenter acturus non erat. Sed etiam res superiorum annorum 211—206 brevi absolvisse videtur, quod iam apparet ad 209 (IX. c. 3 sqq.). — Quae de

---

[1]) Id est: οὐδὲν ὁλοσχερὲς ἔπαθε. Nam hoc voluisse Polybium voce ἀήττητος clare apparet IX. 7, ubi narrat Hannibalem trans Anienem copias ducentem adortos esse consules Sulpicium et Fulvium: Ῥωμαῖοι πολλὴν παρεῖχον δυσχρηστίαν, ὁλοσχερὲς μὲν οὖν οὐδὲν ἐδύναντο πρᾶξαι διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἱππέων καὶ τὴν πρὸς πάντα τόπον εὐχρηστίαν τῶν Νομάδων· τῆς δὲ λείας ἱκανόν τι μέρος ἀφελόμενοι καὶ περὶ τριακοσίους ἀποβαλόντες τῶν πολεμίων τότε μὲν ἀπεχώρησαν πρὸς τὴν παρεμβολήν. Sic etiam c. 101 § 7 (Hann. et Fab. ad Gerunium a. 216) et alibi.

his annis 211—203 tradit Livius prorsus pugnant cum Polybii testimonio Hannibalem ante Zamam invictum fuisse. Iam sufficiet ex ipsis Livii libris brevi ostendisse, quam nulla fide eius narratio digna sit.

E titulo Lacinii ab ipso Hannibale inscripto (P. III. c. 56 § 4) constat Hannibali in Italiam descendenti fuisse 20.000 peditum 6000 equitum. Liv. XXI. c. 38 cum dubitatione hunc numerum tradit, et aliis auctoribus numerum militum 120.000 fuisse scribit. Deinde XXIII. c. 13 et c. 32 Livius tradit, auxilia a Poenis Hannibali decreta fuisse, Magonem ad milites conquirendos in Hispaniam missum esse, sed nusquam tradidit ea auxilia ad Hannibalem pervenisse. Revera omnia Poenorum consilia auxilii in Italiam mittendi ad Metaurum a. 207 frustrata sunt. Auxilia Italica (Bruttii, Lucani, alii) fere sub ducem Hannonem in alterum exercitum collecta erant, quamquam verisimile est etiam Hannibalem aliquot copias Italicas in castris habuisse. Verum qui fieri potest ut ex his 26.000 militum, aliquot Italicorum millibus interdum expletis sed etiam magnis et gravibus praeliis contractis et deminutis (sic Gallorum post 216 mentio non amplius inicitur), inter annos 210—203, ut Livius tradit, 30.700 amplius caesa vel capta sint? [1]). Apparet hos numeros eisdem auctoribus

[1]) Livius a. 210—203 has clades Hannibali iniunctas esse tradit: XXVI. c. 38 (a. 210) Salapia capta; caeduntur **500** Numidae; XXVII. c. 1 (a 210): In oppidis Italiae recuperatis Poenorum praesidia capiuntur ad **3000**; ibid. c. 14 (a. 209) Marcellus Hannibalem profligat, caeduntur **8000** Poen.; ibid. c. 40 (a. 207) Hannibal profligatur a C. Hostilio Tubulo, caeduntur **4000** Poen.; ibid. c. 42 (a. 207) profligatur a Claudio consule ad Grumentum, caesa **8000** Poen., capti **700**; ibid. c. 42 (a. 207) ab eodem ad Venusiam; caesa **2000** Poen., XXIX. c. 6 fin (a. 205) Hannibali ad Locros obsidione libe-

reddendos esse, qui tradiderant Hannibalem cum 120.000 ab Alpibus descendisse [1]). Accedit quod multos milites ab Hannibale ex Italia a. 203 in Africam traductos esse auctor est Polybius, et tot quidem ut ad Zamam in iis maxima Hannibalis spes posita esset (XV. c. 11 § 2, et c. 16 § 4). At si numeros fictos esse constat, etiam magnas Romanorum victorias, graves clades ab Hannibale acceptas nimis auctas esse, ipsa proelia aliquot ficta esse clarum est. — Cum autem fido harum rerum in Italia gestarum auctore destituti simus, ad brevia Polybii testimonia nobis recurrendum est [2]).

His praemissis accedimus ad singularum partium auctores indagandos. In aliquot libri tertii partibus in quibus ipsius Hannibalis res gestae anni 218 traduntur, Silenum auctorem fuisse nunc fere inter viros doctos constat. Quod his fere argumentis nititur. Polybius (III. 48 § 12) ait se itineris ab Hannibale per Alpes facti narrationem ab iis auctoribus accepisse, qui ipsi praesentes res viderint; etiam ipse locos adiit et itineris difficultates expertus est. Narratio autem Polybii hoc testimonium confirmat: inprimis quae traduntur III. c.

---

randos copias ducenti eruptione facta cives caedunt **200** Poenos; ibid. c. 36 (a. 204) profligatur a Sempronio consule, caeduntur **4000**, capiuntur **300** Poeni; XXX. c. 19 (a. 203) Valerius tradit Hannibalem a Servilio consule profligatum esse et 5000 Poenorum caesa esse, sed ipse Livius dubitat an haec pugna impudenter ficta sit. — Clades Italicorum sub Hannone fere immensas nunc omitto.

1) Sic Livius ad Metaurum caesa esse 56000 Poen. 8000 Rom. tradit, XXVII. c. 49. Pol. contra 10.000 Poen. et Gallorum.

2) Longe abest ut Polybius celet angustias quibus tum versabatur Hannibal; cfr. P. XI. 6. 1; XV. 1. 11.

41—45 (Rhodani transitus) et III. 55 testem oculatum auctorem fuisse ostendunt. Atqui ne credas eum has res a vivo ac praesente auribus accepisse vetant cum ipsa narratio tum ratio temporis; Polybius post 151 scripsit, neque tam diligenter res anni 218 memoria repetitae tum ei tradi potuissent [1]). Praeter traditionem Polybianam, etiam eiusdem auctoris narratio extat apud Livium l. XXI. Qui ab eo laudatur (c. 38) L. Cincius Alimentus, quamquam rerum aequalis fuit, et captivus in castris Hannibalis degens multa recte cognoscere potuit, ideo communem auctorem non esse apparet, quod neque itineri Hannibalis adfuerit, neque eadem tradit quae Polybius. Eaedem rationes ostendunt Fabium auctorem non fuisse. E Graecis auctoribus Hannibali aequalibus duo cum eo in castris fuisse simulque vixisse quamdiu fortuna pateretur ait Nepos (Hann. c. 13), Silenum et Sosylum Lacedaemonium. Probabiliter autem coniciunt Silenum hunc fuisse communem Polybii Liviique auctorem itineris per Alpes facti; Livius enim XXI. c. 22 somnium narrat Hannibalis prorsus idem quod Cicero (de divin. I. 24—49) exposuit, qui haec praemittit; „hoc idem in Sileni, quem Caelius sequitur, Graeca historia est; is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est." Itaque haec somnii traditio a Sileno per Coelii libros ad Livium defluxisse videtur: eandem traditionem Polybius eodem auctore novit quidem sed ut falsam et historia indignam reicit [2]). Verum

---

[1]) Cfr. F. Böttcher, Krit. Unters. ü. die Quellen des P. u. L ; Jahrbücher von A. Fleckeisen 5ter Supplementband 1864—1872; p. 356 sqq.

[2]) Pol. III. c. 47 § 8 „ἅμα δὲ καταστροφὴν οὐ δυνάμενοι λαμβάνειν οὐδ' ἔξοδον τοῦ ψεύδους, θεοὺς καὶ θεῶν παῖδας εἰς πραγματικὴν ἱστορίαν παρεισάγουσιν. Addo etiam Liv. XXI. c. 4 ad Silenum, ut videtur, pertinere. Livius ibi enim de Hannibale ait:

cum constet Silenum cuiusdam partis auctorem fuisse, plane incertum est quamdiu hunc auctorem Polybius tenuerit, utrum per totum librum III, an per primam tantum huius libri partem. Unum etiam Polybii locum certe ad Silenum referre possumus, nempe P. III. c. 54 § 7, Liv. XXI. c. 36 § 1. Livius enim ait: ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis saxis, ut aegre *expeditus miles* temptabundus manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset." Polybius autem milites expediti consulto hac in re mentionem non fecit [1]); cur hoc mutaverit causam paullo ante exposuit (c. 47 § 9), quod enim ii auctores multo nimis difficultates auxerint, qui traderent ne *expeditos milites* quidem facile quosdam locos transgredi potuisse [2]). Eo capite autem 47, ut modo ostendi, Silenum refutandum suscepit Polybius, itaque huic auctori cum rerum ab Hannibale in Hispania gestarum tum tota Alpium transitus narratio tribuenda esse videtur.

Praeter has partes etiam multas alias huius libri, denique omnes quibus res Hannibalis et Poenorum contineantur Sileno adscribendas esse, e comparatione Livii sunt qui coniecerint [3]). Statuerunt enim Silenum

---

plurimum audaciae ad pericula capessenda, *plurimum consilii* inter ipsa pericula erat". Haec eadem Pol. l. l. § 7 Sileno tribuit: „ἅμα γὰρ τὸν Ἀννίβαν ἀμιμητόν τινα παρειςαγαγόντες στρατηγὸν καὶ τόλμῃ καὶ προνοίᾳ.

[1]) Ait enim 54 § 7: ἅμα δὲ τῷ παραγενέσθαι πρὸς τοιοῦτον τόπον, ὃν οὔτε τοῖς θηρίοις οὔτε τοῖς ὑποζυγίοις δυνατὸν ἦν παρελθεῖν διά τὴν στενότητα . . .

[2]) ὑποθέμενοι γάρ τὰς ἐρυμνότητας καὶ τραχύτητας τῶν Ἀλπίνων ὀρῶν τοιαύτας ὥστε μὴ οἷον ἵππους καὶ στρατόπεδα, σὺν δὲ τούτοις ἐλέφαντας, ἀλλά μηδὲ πεζοὺς εὐζώνους εὐχερῶς ἂν διελθεῖν. Hunc locum et illum primus credo indicavit Nitzsch Röm. Ann. p. 14.

[3]) Böttcher l. l.

solum auctorem praeter Romanos annalium scriptores Polybio fuisse. Sed etiam alios ei fuisse rerum Hannibalis auctores apparet c. 20, Chaerean et Sosylum Lac. Eos quidem eo loco acerbe vituperat. Sed talia addere solet P. in usum imperiti lectoris, qui cum discernere non possit quid verum sit quid minus facile a tali scriptore decipi possit, non dicit omnia falsa esse, neque se ipsum non interdum aliquid quod illi tradiderant comprobasse; ipsum etiam Silenum ait ψευδολογεῖν καὶ μαχόμενα γράφειν (c. 47). Deinde in rebus *Romanis* eo loco erraverunt Ch. et Sos.; sane Sosylus res Hannibalis melius cognovisse potuit. Quid igitur in libro III. (c. 61—fin.) Sileno, quid Chaereae vel Sosylo vel alii auctori non Romano tribuendum sit parum constat; ne hoc quidem constat omnia quae Livius eodem auctore tradidit de rebus Hannibalis, Sileni esse; sed etiamsi hoc magis probabile videretur: Polybius etiam saepe a Livii traditione deflectit, etiam quaedam edit quae Livius non novit. Aliquot e multis exempla afferam: Polybius tradit III. c. 77 (a. 217 ante Trasumennum) Hannibalum socios Romanorum captos sine pretio domum misisse. III. c. 86 § 11 (a. 217 paullo post Trasumennum) narrat Hannibalem odio Romanorum capitali motum militibus suis edixisse ut omnes Romanos trucidarent quos per viam caperent [1]). Haec Livius XXII. c, 9 non tradit [2]); neque magis quae addit Po-

[1]) Ad longe diversam traditionem pertinent nugae quas tradit Livius XXIII. c. 5 in oratione consulis Romani, Hannibalem pontes et moles ex humanorum corporum strue faciendas curavisse, et milites suos vesci corporibus humanis docuisse.

[2]) Etiam certissime ostendit hic locus Livium non e Polybio hausisse quae cum eo conveniant, sed communem utriusque traditionis fontem fuisse: Livius XXII. c. 9 fere eisdem verbis quibus Pol. c. 86 fin. c. 88 iter ab Hannibale ex Umbria

lybius c. 87 § 3 Hannibalem milites suos armatura Romana instruxisse, et c. 88 § 1 eum equos suos ut defessos reficeret vino vetere lavandos curasse. Itaque de rebus Hannibalis multa et egregia Polybius a variis auctoribus suis non Romanis didicit, quae ad Livium non pervenerint. — Polybius autem diligenter cavit ne totus his auctoribus deditus ab iis deciperetur. Veluti III. c. 33 recensuit copias ab Hannibale ex Hispania in Africam ductas, ex Africa in Hispaniam arcessitas; eosdem numeros et gentium nomina vere et diligenter composuerat Silenus. Is autem ab ipso Hannibale eas didicit, titulum columnae aureae in fano Iunonis Laciniae inscriptum non consuluit, nam titulus a. 205 demum factus est (Liv. XXVIII. c. 46), et Silenus res anni 218 sive in ipso itinere sive paullo post conscripsit, ut apparet e diligenti rerum singulis diebus gestarum narratione. Atqui si quae Livius scripsit (XXII. c. 21): „ut Afri in Hispania, Hispani in Africa velut mutuis pigneribus obligati, stipendia facerent" Sileni sunt, certe etiam haec Polybii verba ad eundem referenda sunt: (c. 33 § 8) *ἐκ μὲν Λιβύης εἰς Ἰβηρίαν, ἐκ δ' Ἰβηρίας εἰς Λιβύην διεβίβαζε στρατιώτας, ἐκδεσμεύων τὴν ἑκατέρων πίστιν εἰς ἀλλήλους διὰ τῆς τοιαύτης οἰκονομίας.* Etiam alia huius capitis sunt Sileni, § 13: *ἀπέστειλεν ἄλλους εἰς Καρχηδόνα ... ὁμηρείας ἔχοντας καὶ βοηθείας ἅμα τάξιν*, nam idem Liv. c. 21 fin: „— — praesidium eosdem et obsides, duci Carthaginem iubet". Itaque c. 33 revera Polybius Silenum ad verba expressit, neque aliud quid mutavit, nisi quod ut videtur ordinem nominum et gentium servavit qualis in titulo inerat,

---

in Apuliam factum tradit, sed ea apud eum desiderantur quae si Livius cognovisset eum omisisse ne intellegi quidem posset.

et fortasse duos mutavit numeros [1]). Quod cum ita se habeat, mirari aliquis possit cur eodem capite multis verbis speciem repellere studeat quasi haec temere scriptori alicui crediderit, suaque sedulo opponat aliorum auctorum scriptis specie quidem accuratis, revera nulla fide dignis (§ 17), nullam alius auctoris mentionem faciens nisi ipsius Hannibalis. qui Lacinii hunc recensum ipse conscripsisset (ibid. § 18). Nobis enim apparuit Polybium cum titulum Lacinii invenisset numerosque et nomina inde descripsisset, hos numeros cum Sileni comparavisse; deinde cum Silenum omni fide dignum esse comperisset, hunc presse sequi induxisse, nisi numerorum et gentium ordine reservato qualem titulus praeberet. Hoc loco paullo iniquius cum Sileno egisse facile alicui videri possit Polybius, cum praesertim ipse addat auctori admodum difficile esse tales res accurate tradere; sed haec ratio omnino moris est Polybii. Atque concedamus necesse est, auctoritatem Sileni prorsus occaecari prae auctoritate tituli; hoc recte vidit Polybius. — Polybius vulgo satis presse sequitur auctores suos, quod apparet e comparatione Livii, sed quaedam sibi propria habet. Sic interdum brevius res exponit, cuius rei unum exemplum afferam. II. c. 35 tradit Hannibalem 10.000 peditum Hispanorum, 1000 equites domum remisisse, ut eos sibi fideles socios in Hispania relinqueret. Silenus autem (Liv. XXI. c. 23) scripserat, 3000 Carpetanorum peditum invito Hannibale a Pyrenaeo saltu iter avertisse, metu longae viae motos; deinde Hannibalem illos non revocasse, ne ceterorum etiam animi irritarentur, contra supra

[1]) Liv. 200 Ilergetes (Lergetes), Pol. 300 Lergetes; Liv. 870 Baleares, Pol. numerum non tradit, nisi hic numerus fortasse excidit.

septem milia hominum domos remisisse, Carpetanos quoque ab se demissos simulantem [1]. — Etiam ad artis criticae normam exegit Sileni narrationem, omisit somnium Hannibalis, et difficultates itineris a Sileno nimis auctas esse ipse expertus statuit; qua in re nescio annon satis cogitaverit hoc iter suo tempore parvo comitatu multo facilius esse quam agmini Poenorum esse debuit. Fortasse ob eandem causam (c. 55 § 6) omisit quae tradidit Liv. XXI. c. 27 § 2, Poenos cum caedendum esset saxum, multo ligno circumiecto incensoque ardentia saxa infuso aceto putrefecisse. — Nomina locorum, gentium, hominum multa omisit Polybius quae apud Livium leguntur [2]; etiam Silenum ea diligenter persecutum esse apparet cum hac in re auctorem suum se non imitaturum esse dicat P. (III. c. 36 § 2). — Longum excursum contra inseruit de re geographica (III. c. 36—40), et persaepe, ubi regionis alicuius nomen vel fluminis memorat, brevi explicat situm et conditionem regionis eius vel fluminis (ex. c. 49 § 6—8 de forma insulae Allobrogum; c. 47 § 2—6 de flumine Rhodano; c. 110 § 9 de flumine Aufido, alia). — Etiam alias res mutavit Polybius, rationis suae pragmaticae memor. Polybius huic rei magnam operam navare solet, ut res temporis ordine enarret, ut res quae eodem tempore factae sint etiam eodem loco exponat, vel si longius spatium temporis in altera teritur, initium certe eius rei simul cum altera tangat, eventum postea addat.

---

[1]) Hic locus cum multis aliis demonstrant Livium non e Polybio hausisse. Vid. Böttcher l. l. p. 374.

[2]) Ex. gr. P. c. 50, Liv. c. 26 § 6 *Volcae;* c. 31 § 6 *Brancus* alia; P. c. 69 § 1, Liv. c. 48 § 8 *Dasius;* P. c. 41 § 4, Liv. c. 26 § 4 *Saluvium* mons.

Exemplum afferam e priore parte: Numidarum ab Hannibale ad Rhodanum degente missorum prima eo loco mentio inicitur, quo ex temporis ordine ea res locum habere debebat, c. 44 § 3; tum sequitur descriptio contionis et post eam c. 45 § 1 reditus Numidarum. Silenus autem (ut e Livio apparet) huius rei uno tantum loco mentionem fecerat, Liv. c. 29 § 1 „*interim* Hannibal Numidas *miserat*." Aliud exemplum praebet iter Scipionis a littore maris ad castra Poenorum deserta factum; c. 45 § 4 castra movet Scipio; c. 49 § 1 eum advenisse et reverti narrat Polybius, Livius utrumque uno loco habet c. 32 § 1. Sic Livius postquam c. 40 et 41 exposuit orationem Scipionis ad milites factam c. 45 § 1 narrat Romanos Ticinum ponte iunxisse, et deinceps § 3 Romanorum exercitum ponte perfecto Ticinum traduxisse, Polybius vidit pontem non tam celeriter perfectum esse potuisse; itaque statim Scipionem iussisse tradit pontem iungi (c. 64 § 1), et tum demum hoc praemisso Scipionis orationem exposuit. Deinde insequente die tradit (c. 65 § 1) Romanos in ulteriore ripa Ticini fluminis, igitur ponte traiecto, progressos esse. Sic copiarum Tiberii e Sicilia profectus (c. 61 § 9) et adventus (c. 69 § 12) diversis locis exponuntur, utramque rem suo loco posuit Polybius. Hac ratione evidentiam narrationis auget. — Prodigia nunquam tradidit Polybius, Livius ea accurate apposuit, et interdum apparet cum fons communis sit, Polybium ea consulto omisisse (ex. gr. Liv. c. 46 § 1, Pol. c. 65); auctores Polybii subinde talia tradidisse ostendit locus Polybii c. 112 § 8 sq. — Interdum traditio Polybii, quamquam manifesto ex. eodem fonte hausta atque Livii, magnopere huic praestat. Quod praesertim evenit in pugnarum descriptionibus; Polybius cum rei bellicae egregie peritus melius intellegeret auctoris sui narratio-

nem, multo clarius eam reddere potuit, quidquid magni momenti erat, lucide exponens, res leviores quae rem obscuriorem facere possent brevi absolvens vel omittens. Sic in pugna ad Trebiam commissa (P. c. 73 sq., Liv, c. 55 sq,) Livius laborat obscuritate; Baleares qui primi manus conseruerant cum Romanis et mox nimis a legionibus Romanis premebantur, ad cornua deduci tradit, quod quomodo factum esse possit dum Romani eos aggrederentur non liquet; Livius minus recte putavit eosdem deinceps cum equitibus Romanis in cornibus congressos esse, itaque e pugna eos modo se recepisse non animadvertit, Polybius contra eos per διαστήματα aciei Poenorum receptos esse ait et multo post demum cum Poenis graves milites Romanos adortos esse. Eodem modo Livius, cum crederet gravem armaturam Romanorum medio in proelio ab elephantis esse invasam, eos a cornibus ad mediam aciem, a media acie rursus in cornua ductos esse tradit, quod parum credibile est. — In itinere per paludes in Etruriam facto Polybius tradit Hannibalem primo agmini dedisse impedimenta, necubi necessaria ad usus deessent (c. 79 § 1), idem Livius (XXII. c. 2 § 3), sed Polybius huius rei quae temeraria per se visa esset, rationes addit, et explicat cur tam parum curae impedimentorum habuerit Hannibal (§ 2). — Eodemmodo Polybius c. 101 postquam narravit Hannibalem Gerunii degentem, cum Fabius prope instaret, tertiam partem militum dimisisse ad frumentum colligendum, § 9—12 diligenter de suo addit rationes cur Hannibali ita agendum esset. Livius (c. 24 § 9) tantum temeritatem rei admiratus addit „quod minime quis crederet." Eiusmodi excursus pragmaticos de arte ducis saepe inseruit (ex gr. c. 81). — Quantopere praestet Polybii narratio, inprimis manifestum est c. 93 (Liv. c. 18), quo exponitur dolus quo e Cam-

pania invito Fabio evaserit Hannibal [1]). — Item in narratione pugnae Cannensis, cuius unum exemplum ostendam. Egregium consilium Hasdrubalis, quod Livius brevi narrat, a Polybio in clara luce positum est et laudibus effertur (c. 116 § 6—8, πραγματικὸν καὶ φρόνιμον ἔργον δοκεῖ ποιῆσαι Ἀσδρούβας). Is enim equitibus Hiberorum et Gallorum praeerat qui iuxta flumen positi iam in initio pugnae fuderant equites Romanos; Hasdrubal ad alterum cornu copiis traductis, Numidis auxilium praestat contra equites sociorum Romanorum; cum ii quoque fusi essent, Hasdrubal non cum equitibus suis fugientes persequitur, sed persecutionem Numidis committit quia hi multo celeriores essent, et cum suis equitibus auxilium fert gravi armaturae Poenorum. Liv. c. 48 § 5 sq. tantum dicit Hannibalem Numidas ex media (!) acie subductos ad persequendos fugientes misisse, Hispanorum equites gravi armaturae Poenorum adiunxisse; ingenio et memoriae lectoris coniciendum reliquit, Hasdrubalem eos equites ex altero cornu circumduxisse, et causam nescit cur Numidae ad persequendum potius adhiberentur. — Itaque Polybius merita et consilia ducum ita illustrare et explicare solet, ut lector animadvertere possit quid fortunae, quid consilio pugnantium debeatur.

Res Hannibalis in Italia ex auctore quodam non Romano cognovisse Polybium, quamquam non constat, tamen verisimile est. Aliae quaedam partes manifesto auctoribus Romanis debentur; quos qua ratione in rem suam vertere soleat docet comparatio Livii. — Ad has partes pertinet c. 40 (Seditio Boiorum). Asconius [2]) tradit, ab antiquis annalium scriptoribus qui bellum

---

[1]) Cfr. Niebuhr, Vorles. II. p. 96 (ed. Isler.).

[2]) Ad Cic. Pison. p. 3. Cfr. Weiszenborn ad Liv. c. 25.

Punicum II tractaverint, memoriae esse traditum sena milia hominum Placentiam et Cremonam in colonias deducta esse. Eundem numerum habent Livius et Polybius, qui igitur ad fontem communem Romanum referendus est. Sed uterque non unum, sed plures auctores Romanos in manibus habuit. Livius ait (c. 25) triumviros ad agrum assignandum missos a Boiis esse circumventos Mutinae; tradit triumvirorum nomina sed addit ab aliis annalibus alia nomina tradi, denique apud alios hoc non de triumviris, sed de legatis ad expostulandum missis ad Boios narrari. De nominibus ait „Lutatii nomen haud dubium est"; itaque minimum duos annales habuit qui in hoc nomine concinerent, in reliquis discreparent. Polybius autem si unum neque plures hoc loco annalium scriptorem consuluisset, tria nomina ex eo didicisset; contra is etiam Lutatium solum nominat [1]). Apertum est etiam Polybium duo vel plures annales in manibus habuisse et ex iis illud tantum nomen conservavisse cuius omnes auctores erant, alia omisisse quod in hac discrepantia verum indagari posse desperaret. — His auctoribus Romanis Polybius ita usus est, ut ex iis narrationem suam belli illustraret, subinde additis rebus Romae gestis, ut exponeret quo animo essent cives Romani et Senatus, qua spe vel metu afficerentur. Huc pertinent III. c. 61 § 7—9; c. 68 § 9—12, quarum quidem partium alius auctor fuit quam Livii c. 49—51, qui de Sempronio longe diversa tradat; deinde c. 85 § 6 — c. 86 § 7, ubi contraxit Polybius narrationem quae amplior extat apud Livium XXII. c. 7 § 6 — c. 8 [2]); Pol. c. 75, XI. c. 26, alia.

---

[1]) C. 40 § 9: ὧν εἷς ἦν Γάιος Λουτάτιος ὁ τὴν ὕπατον ἀρχὴν εἰληφώς, οἱ δὲ δύο τὴν ἐξαπέλεκυν.

[2]) Cfr. enim Liv.: „et cum ... turba   Pol. 85 § 8: διόπερ

Quae Pol. IX. c. 3—7 narrantur de obsidione Capuae et de Hannibalis ad Romam itinere, utrum e fonte Romano omnia fluxerint necne non constat; sed pars quaedam certe fonti Romano tribuenda est, c. 6 § 1—4, et eidem quidem quo usus est Livius (cfr. Liv. XXVI. c. 9 med.); sed etiam c. 5 § 8 apparet plures fontes fuisse Polybio. Livius enim de itinere Hannibalis duas traditiones affert, vulgatam alteram, alteram Coelii; quae nulla in re conveniunt nisi quod utraque Hannibalem per Samnites iter fecisse edit. (Liv. XXVI. c. 9 „per *Allifanum* agrum, qui est Samnii, c. 11 fin. e Coelio: „Ex Campania in Samnium transiisse"); Polybius autem, re dubia ut solet omissa, tantum ait Hannibalem διὰ τῆς Σαυνίτιδος iter fecisse.

Concludo Silenum auctorem fuisse III. c. 33—35, 41—60. Ea quae de Hannibale in Italia degente narrantur, quatenus cum Livio concinunt, fortasse uni eidemque auctori tribuenda sunt; sed constat etiam alios auctores non Romanos a Polybio adhibitos esse. Denique minimum duo auctores ei fuerunt Romani.

De bello Punico in Italia gesto neque novam neque semper suam narrationem dedit Polybius; fontes quibus utitur magna ex parte etiam alibi nobis supersunt, neque cognitio nostra huius belli a Polybio solo pendet, ut ex. gr. a Thucydide belli Peloponnesiaci, et a Polybio belli Macedonici, Syriaci, aliorum. Sed iis fontibus egregie coniunctis ita usus est Polybius, ut

---

in comitium et curiam versa magistratus vocaret, tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor „pugna" inquit „magna victi sumus". ἅμα τῷ τὸν στρατηγὸν εἰπεῖν τοῖς ὄχλοις ἀπὸ τῶν ἐμβόλων ὅτι λειπόμεθα μάχῃ μεγάλῃ, τηλικαύτην συνέβη γενέσθαι διατροπήν…

eius narratio nobis magni pretii sit, cum dilucide et vere rebus expositis, Livio hac in re aliquantum praestet. Permultum autem ei profuerunt cum insignis doctrina, tum itinera et sermones cum amicis et viris illustribus illius aetatis habiti. Sed quae ab iis didicit, fere seiungi possunt a continua belli narratione quam fontibus scriptis debuit, et suo loco de iis exponemus.

Idem fere dicendum est de bello in Hispania et Africa gesto. Praeter ea quae infra (in vita Polybii et itineribus) recensebimus, uni fonti scripto se dedit, quem interdum apud Livium recurrere nunc fere constat [1]). E pragmatica ratione aliquot res mutavit, sed non tam multa atque in superiore parte; neque eum varios fontes in hac, ut in illa parte fecit, coniunxisse apparet. Sed etiam hac in parte non omnia ad verbum expressit, saepe nomina vel res minores momenti [2]) omisit, graviores copiose exposuit; excursus pragmaticos etiam aliquot inseruit (ex. gr. X. c. 36, c. 40, XI. c. 25 § 2—8).

Is auctor primarius (siquidem recte historia belli in Hispania et in Africa uni eidemque auctori tribuitur) quis fuerit multi frustra quaesiverunt. L. Calpurnii Pisonis libros hunc fontem communem fuisse, qui ipse cum ab aliis tum a P. Scipione filio Africani maioris sua cognovisset, coniecit Keller [3]). Alias coniecturas

---

[1]) Vid. infra.

[2]) Omnia enumerare non est huius loci. Aliquot exempla: Liv. XXVI. c. 44 med: „tumulus quem *Mercurium* vocant", P. X. c. 13 § 3 τοὺς ὑπερδεξίους τόπους. — Liv. XXVI. c. 50 *Alucceius*, P. X. c. 19 nomen omisit. — Liv. XXVIII. c. 13 ad Culcham *duodetriginta oppidis regnantem*, P. XI. c. 20 § 3 πρὸς Κολίχαντα. — Liv. XXX. c. 37 med. *Gisgo*, Pol. XV. c. 19 § 2 „τὶς."

[3]) Der Zweite Punische Krieg und seine Quellen. Marb. 1875,

etiam minus probabiles recensuit Friedersdorff [1]). Nos cum eo huius scriptoris nomen indagari posse desperamus; ea nunc potissimum colligemus quae Polybius in eius narratione mutavit. Atque primum quidem, non secus atque antea cum Silenum secuturus esset, in prima libri X parte quaedam vituperavit quae minus recte ab auctore suo exposita esse crederet; contra eum Caii Laelii testimonium invocat, qui, ut ait, meliora eum docuit de moribus et indole Scipionis Africani [2]); hoc auctore etiam narravit, quomodo patrem in pugna ad Ticinum gesta servaverit Publius (c. 3 § 4—6), et qua ratione ante annum suum aedilitatem nactus esset Scipio. Animadvertendum est illam rem a Livio hoc loco non tangi, hanc aliter narrari; Livius non fratrem, sed M. Corn. Cethegum simul cum Scipione aedilem fuisse tradit XXV. c. 2 [3]). Livius enim communem auctorem secutus est, Laelium non cognovit.

E narratione Polybii conicere licet, eius auctorem in castris Scipionis stipendia meruisse; multae partes testem oculatum produnt, ex. gr. X. c. 20; XI. c. 30; neque Scipioni inimicus fuit, quod mox ostendam. Tamen ne hic quidem auctor Scipionem recto pretio aestimavisse Polybio visus est, nam eum ab iis scriptoribus non discernit qui quod diuturna et fida consuetudine cum eo coniuncti non fuerint, eius facta praeclara fortunae magis quam ingenio et prudentiae tribuerint,

---

p. 77 sqq. (De Scipione vid. Cic. Brut. 19. 77). De hoc libro cfr. Luterbacher, in Philol. Anz. zum Phil. v. Leutsch 1875. pag. 56 sqq.

1) Livius et Polybius Scipionis rerum scriptores. Gottingae 1869. p. 49 sqq.

2) X. c. 3 § 2 „ὁ ταύτην περὶ αὐτοῦ τὴν δόξαν ἡμῖν ἐνεργασάμενος.

3) Livius XXVI. c. 18 etiam statuit Scipionem a. 211 annos 24 natum esse, Polybius (X. 6. 10) 27.

et Laelii testimonium ei praefert, qui etiam iuvenis cum Scipione coniunctissimus fuerit. Polybius enim, quod sunt quos fugerit, diserte dicit auctorem suum non familiarem fuisse Scipionis. Ait enim (c. 2 § 3 et § 5); *omnes* qui de Scipione scripserunt, aliquantum res fefellit, quod fortunae opibus eum semper promotum et auctum esse contenderunt, non insita ingenii vi. „Concedunt quidem (c. 3 § 1) eum liberalem et magnanimum fuisse, sed eum etiam fuisse strenuum, sobrium, magna sollertia in proposita incumbentem, id nemo concedit, praeter eos qui cum eo vixerunt et eius ingenium praesentes observaverunt; inter quos fuit C. Laelius, quocum a puero omnia et facta et sermones usque ad extremum diem communicare solitus est." Equidem credo Polybium his verbis potissimum reprehendere voluisse scriptores qui cum Fabio, Scipionis inimico, starent; ii enim Scipionem accusare solebant; sed tamen etiam ipsius auctorem ei hac in re non satisfecisse apparet.

Huius auctoris narrationem apud Livium extare docet magna similitudo reliquarum partium. Itaque quae a Livio de Scipionis indole traduntur (XXVII. c. 19) magna ex parte omisit Polybius, scilicet eum per totam vitam quotidie quamdiu Romae fuerit aliquod tempus diei in Capitolio solum trivisse, miracula de natali suo pervulgata eum nunquam diluisse, contra arte quadam auxisse, alia eiusmodi. Sed unam rem Polybius diligenter refutare conatur; Livius enim ait se nescire an ipse Scipio quadam teneretur superstitione [1]); Polybius contendit eum aeque ac Lycurgum unice in ostentatio-

[1]) C. 19 „ sive et ipse capti quadam superstitione animi"; paullo post: „multa alia eiusdem generis, *alia vera*, alia adsimulata "

nem omnes eas fabulas consulto composuisse (X. c. 2 § 10 sqq.).

Cum illa re cohaeret res quam paullo post Polybius mutavit, Livius enim tradidit (XXVI. c. 45 s. fin.) Scipionem vel inter obsidionem Carthagenae vel paullo ante a piscatoribus Tarraconensibus cognovisse stagna prope urbem aestu decedente facilem peditibus transitum ad murum dare; ipsam rem certe Livius in mediam obsidionis narrationem inseruit [1]. Polybius contra contendit Scipionem iam cum Tarracone hiberna teneret hoc per piscatores exploravisse (P. X. c. 8 § 6 sq.), quod urget contra eos qui eum hanc expeditionem temere neque omnibus rite exploratis suscepisse scripserant; eosque plenius refutat laudata epistola ab ipso Scipione ad Philippum missa.

Scipio, postquam ad Baeculam Hasdrubalem profligavit (a. 209), a circumfusa Hispanorum multitudine rex appellatus est. Livius hac re tradita (XXVII. c. 9) parvam orationem Scipionis addit, qua hoc nomen regium ut Romanis infestum neque sibi exoptatum brevi reiecerit. Hoc loco Polybius (X. c. 40 § 7—9) multas Scipionis laudes inseruit; tangit magnificas victorias etiam postea in aliis mundi partibus ab eo reportatas, miratur constantiam et modestiam qua occasionem tam saepe oblatam regni adsumendi, quod Polybium ut Graecum plurimi fecisse apparet, aspernatus sit. Eodemmodo seditionem ad Sucronem a militibus factam narraturus (a. 206 P. XI. c. 25) multa addit ut eo magis ad Scipionis artis imperatoriae admirationem moveantur lectores. Sic denique in fine belli Punici II (P. XV.

[1]) Appianus Hiber. c. 21 tunc demum id vidisse Scipionem tradit, neque a piscatoribus id didicisse, ὅπερ ὁ Σκιπίων τότε ἰδών...; cfr. c. 23: ὁ δὲ τόλμῃ καὶ τύχῃ πόλιν ἑλὼν μιᾷ ἡμέρᾳ ...

c. 4 § 9—11) occasionem aliquam arripuit, cum legatos Punicos incolumes praetermittere Baebium iussisset Scipio, ut eius fidem in inimicos etiam perfidissimos clare ostenderet. Neque sine causa his tribus locis laudes Scipionis inseruit; cognoverat eas ipsas res adversariis Scipionis vituperatione magis dignas esse videri quam laude; et ultro eos refellere voluit qui ita iudicarent. Pugna enim ad Baeculam gesta Hasdrubali occasionem dedit ex Hispania in Italiam exercitum ducendi, et Romam in extremum periculum duxit; seditionem ad Sucronem Scipioni exprobabant qui eum disciplinae militari non satis fecisse arguerent; denique in Africa interdum ita egit Scipio, ut perfidia in hostes absolvi non posse videatur. Itaque si narratio Polybii magis quam aequum sit ad Scipionem efferendum instructa est, non solum hoc Polybii auctori est imputandum; ipse has laudes quantum potuit auxit, quidquid in malam partem verti potuit, levavit.

Ex aliis rebus quas Polybius mutavit [1]) una etiam

---

[1]) Ex gr. in pugna ad Zamam; Liv. XXX. c. 33: „modico deinde intervallo relicto subsidiariam aciem Italicorum militum — Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures quam sua voluntate succedentem ex Italia secuti". Pol. XV. c. 11 § 2: ἐπὶ δὲ πᾶσι τοὺς ἐξ Ἰταλίας ἥκοντας μεθ' ἑαυτοῦ πλεῖον ἢ στάδιον ἀποστήσας τῶν προτεταγμένων. De iisdem paullo post Liv. c. 35 fin. „Italicos, incertos socii an hostes essent in postremam aciem summotos"; Pol. c. 16 § 4: τοὺς δὲ μαχιμωτάτους τῶν ἀνδρῶν ἐν ἀποστάσει παρενέβαλε (τοὺς ἐξ Ἰταλίας μεθ' ἑαυτοῦ ἥκοντας). Traditio apud utrumque haud dubie eadem est, sed Polybius ab alio auctore (fortasse a Massinissa?) vera didicit et haec mutavit. Cfr. etiam Liv. c. 34 fin.: „ad veros hostes perventum erat, et armorum genere et usu militari et fama rerum gestarum et magnitudine vel spei vel periculi *pares*, sed et *numero* superior Romanus erat, et *animo*", cum Pol. c. 14 § 6: ὄντων δὲ καὶ τῷ πλήθει καὶ τοῖς φρονήμασι καὶ ταῖς ἀρεταῖς καὶ

hoc loco tangi debet. Livius enim postquam XXX. 26 (a. 203) tradidit e Graecia ad Senatum nuntiatum esse Philippum regem contra foedus quattuor milia militum cum Sopatro duce et una pecuniae aliquantum in Africam ad Carthaginienses missa esse, paullo post (XXX. c. 33) e communi fonte narrat in acie Carthageniensium ad Zamam adfuisse legionem Macedonum. Polybius illud non tangit, hoc consulto omisit. Polybii auctoritas a Livio me iudice infringi non potest. Praeter duos locos laudatos Livius in hac parte — postea ubi de pace agitur ea res legatis Philippi regis obicitur — auxiliorum Macedonum mentionem non fecit. Mommsen (R. Gesch. I. p. 653) ait „eben jetzt (a. 203 paullo ante pugnam in Campis Magnis) waren die erwarteten Keltiberischen *und makedonischen* Hülfstruppen angelangt." Sed nusquam traditur auxilia Macedonum a Poenis expectata esse. Livius XXX. c. 7 et 8, aliam traditionem quam Polybii exhibens, et Polybius XIV. c. 7 solum de Celtiberis exponunt; Appianus neutros memorat. Deinde in pugna in Campis Magnis facta omnes Celtiberos trucidatos esse tradit Livius (c. 8); si in hac pugna 4000 Macedonum adfuerunt, fieri non potest ut eadem legio intacta recurrat in pugna post annum ad Zamam facta. Etiamsi verum esset, quod Livius tradit, auxilia initio anni 203 in Africam missa esse, tamen in pugna ad Zamam ut

---

τοῖς καθοπλισμοῖς παραπλησίων ἀμφοτέρων. — Denique e more suo Polybius omisit numeros signorum militarium captorum. Liv. c. 35 in. „Carthaginiensium sociorumque caesa eo die supra milia viginti, *par* ferme *numerus captus cum signis militaribus* centum triginta duobus, *elephantis* undecim." Polybius ex iisdem numeris duo tantum servavit, reliquos omisit; c. 14 § 9: ἔπεσον — τῶν — Καρχηδονίων ὑπὲρ δισμυρίους, αἰχμάλωτοι ἑάλωσαν οὐ πολὺ τούτων ἐλάττους.

ea integra adessent factum esse non potest, et Polybius iure voces „legionem Macedonicam" omisit. Sed cum hac in re auctorem Livii erravisse appareat, totam traditionem de auxiliis Macedonicis fide indignam esse credibile fit [1]).

Omnino negari non potest, narrationem belli in Hispania et Africa, qualem edidit Polybius, laude dignam esse. Egregio auctore usus est, qui quasque res cum veritate et evidentia exposuerat. Etiamsi forte recte ei auctori obicitur, res Scipionis in Africa degentis ita ab eo (apud Livium) tradi ut non satis appareat, in quantas angustias quantaque pericula initio a. 203 ibi redacti fuerint Romani, id Polybio obicere non possumus quoniam non tota huius anni narratio Polybiana extat, tantum fragmenta ex ea supersunt. — Etiam quae mutavit Polybius, pleraque certis testimoniis confirmantur; scilicet Scipionem iam cum Tarracone degeret exploravisse situm Carthagenae probat epistola ipsius Scipionis; eum sobrium fuisse constat e testimonio Laelii, et recte ut videtur urgetur contra adversariorum criminationes, qui inprimis ob cultum humaniorem et Graeco viro dignum in eum invehi solebant [2]). Sed tamen

---

[1]) Cfr. etiam infra cap. III.

[2]) Eas memoriae tradit Livius XXIX. ç. 19 „externo et regio more et indulgere (eum) licentiae militum et saevire in eos." Paullo post „ipsius etiam imperatoris non Romanus modo sed ne militaris quidem cultus iactabatur; cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio libellis eum palaestraeque operam dare; aeque segniter molliterque cohortem totam Syracusarum amoenitate frui", et quae sqq. Ad eosdem fontes referendum esse videtur quod Valerius Antias narravit eum virginem Carthagenae captam parentibus non reddidisse (Gell. VII. 8); sed is calumniae convincitur testimonio omnium auctorum qui supersunt (L. XXVI. c. 50, P. X. c. 19). — Quam multi fuerint qui

etiamsi res gestas recte tradidit, nescio an minus veram imaginem ingenii Scipionis pinxerit Polybius. Multa enim nimis admiratur. Veluti cum anno 203 Scipio prope Uticam ad mare castra haberet, Hasdrubal ingentibus Syphacis auxiliis auctus (XIV. c. 1 § 14, 10000 eq., 50000 ped.) adversus eum binis castris sederet, Scipio induciis acceptis aliquamdiu per legatos cum Syphace de pace egit, cuius conditiones cum antea ne ferre quidem aeque posset Scipio [1]), mox fraudis consilio suscepto pacis cupidum se esse simulavit, dum legati sedulo situm castrorum hostilium explorarent. Tum subito se quidem pacis conditiones accepturum fuisse, sed consilio suo pacem nequaquam placere renuntians, ita inducias tollit, ut, ait Livius (XXX. c. 4) *libera fide* incepta exsequeretur (*χάριν τοῦ μὴ δόξαι παρασπονδεῖν* P. XIV. 2 § 12); et proxima nocte profectus utraque castra igne delevit. Hanc cladem autem Polybius gravissimam fuisse tradit (*μυριάδες ἀνδρῶν, ἵππων, ὑποζυγίων ἀπώλλυντο*), sed etiam laudes Scipionis ob hanc rem in immensum auget; nihil quod unquam factum est, ait, cum hac re comparari potest; Scipio nunquam rem tam admirabilem perfecit (XIV. c. 5 § 15). Equidem censeo, hanc Scipionis perfidiam tanta laude indignam esse; res tantum fortasse excusari

---

Scipionis gloriae inviderent, et variis criminationibus eum vexarent, apparet etiam e verbis quae Scipionem loquentem facit Polybius (XI. 31 § 6): Scipio Indebili bellum inlaturus ait se milites Romanos contra eum ducturum esse, non adsumtis sociis Hispanis, *ἵνα φανερὸν γένηται πᾶσιν, ὡς οὐχ Ἴβηρσι Καρχηδονίους καταπολεμησάμενοι, καθάπερ ἔνιοί φασιν, ἐξεβάλομεν ἐξ Ἰβηρίας κ. τ. λ.*

[1]) Has conditiones easdem habent Pol. XIV. 1. 9 et Appian. Libyca 17, Romanis ex Africa, Poenis ex Italia decedendum esse, quae in medio sita essent iis remitti qui tunc tenerent.

potest e periculo quo Romani circumventi erant, sed Scipionem etiam tum magis fortuna quam fortitudine e gravi periculo servatum esse lector quidem conicere potest; sed diserte non addit Polybius. Et paullo post fortuna iterum optime cum Scipione egit, cum Syphacem captum ei traderet. — Non secus sentio de bello in Hispania gesto. Romani exercitum eo miserant qui prohiberet ne trans Alpes auxilia ad Hannibalem pervenirent [1]); non sine causa Fabius Scipioni exprobravit, quod Hasdrubalem e manibus suis in Italiam emisisset [2]). Scipio facile eam partem Hispaniae quae cis Iberum est, et Pyrenaeum, ab Hasdrubale defendere potuerat; consilium Carthagenae capiendae, etiamsi omnia ante diligenter exploravit, satis temerarium erat, neque solum ex eventu iudicari debet. Summae utique temeritatis erat iter ad Syphacem in Africam factum (L. XXVIII. c. 18 cfr. P. XI. c. 24[a] § 4). Deinde Fabius eum dicit „natum ad corrumpendam disciplinam militarem [3]); seditio ad Sucronem facta, negotia ab eius militibus Locrensibus exhibita [4]) certe ostendunt eum in hac parte artis imperatoriae cum Hannibale ne comparari quidem posse. Quod nihilominus tam illustris belli eventus fuit, fieri non potest quin fere incredibili fortunae favori partim adscribatur. Polybius erravit, cum magnam operam poneret in hac re refutanda.

---

[1]) Quamquam id Hasdrubali a Senatu Poenorum mandatum esse ut in Italiam copias duceret, a. 210 demum, cum Carthagena iam capta esset, Romam primum nunciatum esse videtur (Liv. XXVII. c. 5), tamen res iam antea a Senatu expectata sane est. Cfr. etiam Mommsen, R. Gesch. I. p. 633.

[2]) Orat. Fab. ap. Liv. XXVII. c. 42.

[3]) Liv. XXIX. c. 19.

[4]) Liv. XXIX. c. 9; c. 17 sqq.

Ubique apparet, eius iudicium de Scipione latum studio et amore aliquatenus occaecatum fuisse.

VII. Aratus et Phylarchus.

II. c. 43—71; V. c. 35—39.

Aratus Sicyonius magnam partem rerum sibi gestarum memoriae tradidit, et eam quidem vitae suae partem commentariorum (*ὑπομνημάτων*) libris triginta amplius [1]) illustravit, quae continetur annis 251, quo Sicyonem a tyranno Nicocle liberatam foederi Achaico adiunxit, et sequentibus. Quis annus ei extremus fuerit in commentariis non plane constat. Polybius quidem parum accurate tempore definito, ait se scribendi initium fecisse ab Olymp. 140, et res in ea Olympiade gestas proximas esse iis quas Aratus conscripserit [2]); et paullo post ait se traditurum esse res quae post Antigoni, Seleuci, Ptolemaei mortem acciderint, quia circa hoc tempus Aratus scribendi finem fecerit [3]). Sed vix credo, pugnam ad Sellasiam gestam ab Arato esse descriptam, etiamsi eum annum (Ol. 139. 4) fortasse libro suo attigerit. Hanc pugnam enim Polybius ubere enarravit, contra ea quae iam antea Aratus memoriae tradiderat, breviter percurrere solet, et brevi se absoluturum esse saepius statuit [4]). Aratus ut natura magis ad artem politicam quam ad militarem aptus erat, etiam in libro suo rebus militaribus et pugnarum descriptionibus praetulit res politicas explicandas. Poly-

---

1) Vit. Arati poetae — Vitar. script. gr. min Westermann p. 55.

2) P. I. c. 3 § 2.

3) P. IV. 2 § 1.

4) Ex gr. II. 40 § 4.

bius certe non ex eo hausit descriptionem pugnae ad Sellasiam gestae, quam e suo de vita Philopoemenis libro repetivit [1]). Quodsi autem Polybius hanc pugnae descriptionem aliunde petivit statuere licet hoc factum esse quia Aratus, antequam eam tangeret, scribere destitisset.

Hos commentarios summa cum veritate et fide conscriptos esse censet Polybius [2]), eos sedulo opponit libris Phylarchi. Phylarchus [3]) scriptor non ignobilis, res Asiae et Graeciae complexus est historiarum libris 28, et eas quidem quae a Pyrrhi expeditione in Peloponnesum ad Cleomenis mortem acciderunt. Polybius eum nonnullis aliis scriptoribus ita se probavisse ait, ut eum potissimum sequendum elegerint; quamquam saepe contra Aratum dicat eique contraria scribat [4]); cui errori ut obviam eat, Phylarchi fidem impugnare Arati confirmare studet. Phylarchus hoc vitio inprimis laborasse videtur, quod vero commune historicorum illius aetatis vitium erat, quod affectus lectorum vehementer concitare studens, iis rebus ante alias magnum in libris suis locum concessit, quae ornatui oratorio et quasi poetico aptae, ad misericordiam vel admirationem lectorum animos movere possent. Quae ratio a iusti arbitri munere admodum aliena, facile scriptorem perducit ad iudicium minus aequum de rebus gestis ferendum. Itaque novimus Phylarchum interdum studio et amore se corripi passum esse [5]), et Plutarchus hanc ob

---

[1]) Vid. infr.

[2]) II. 40 § 4: *διὰ τὸ λίαν ἀληθινοὺς καὶ σαφεῖς ἐκεῖνον περὶ τῶν ἰδίων συντεταχέναι πράξεων ὑπομνηματισμούς.*

[3]) *Ἀθηναῖος ἢ Ναυκρατίτης.* Athen. II. p. 58 C.

[4]) II. 56 § 1.

[5]) Plut. Arat. c. 38: *Φύλαρχος ᾧ, μὴ τοῦ Πολυβίου μαρτυροῦντος, οὐ πάνυ τι πιστεύειν ἄξιον ἦν· ἐνθουσιᾷ γὰρ ὅταν ἅψηται τοῦ Κλεομένους*

rem aliquoties eius fidei praevertit aliorum [1]); quamquam animadvertendum est, Plutarchum hac in re a Polybio monitum egisse. Sed aliud est rhetorice scribere et inique iudicare, aliud res ipsas contorquere et fingere. Polybius Phylarcho fraudis crimine accusato [2]), hoc crimen certis argumentis confirmare non potuit; in eum quoque, ut in alios solet, multo nimis acriter invectus est. Nam quae ad refellendam Phylarchi fidem Polybius affert (II. c. 65—64) sufficere non possunt ut fide indignum et ineptum scriptorem eum fuisse censeamus. Narrationem cladis Mantineae urbis ab Antigono et Achaeis captae, vividis coloribus pictam dederat Phylarchus (Pol. II. 57 § 7); eum hanc rem de suo finxisse et mentitum esse (*ψεῦδος εἰςήνεγκε τὸ ὅλον*), quamquam fortasse cladem aliquantum auxit, nusquam apparet; deinde commiserationem, qua cladem Mantineae, urbis Arcadiae maximae et antiquissimae, deploret Phylarchus, adeo nimiam et ineptam esse, neque ulla misericordia dignos fuisse cives Mantineae, quia paullo ante foedus cum Achaeis factum rupissent, Polybio concedere non possumus. De nece Aristomachi, Argivorum tyranni, quae scripserat Ph., falsa esse minime contendere potuit Polybius (II. 60 § 7), sed Aristomachum iustas poenas dedisse contendit, et iudicium Phylarchi acriter impugnat, Neque multo gravius mihi videtur quod deinceps crimen Phylarcho imputat

---

ὑπ' εὐνοίας, καὶ καθάπερ ἐν δίκῃ τῇ ἱστορίᾳ τῷ μὲν ἀντιδικῶν διατελεῖ, τῷ δὲ συναγορεύων.

1) Them. 32 Φύλαρχος ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ τῇ ἱστορίᾳ μόνον οὐ μηχανὴν ἄρας καὶ προαγαγὼν Νικοκλέα τινὰ καὶ Δημόπολιν, υἱοὺς Θεμιστοκλέους, ἀγῶνα βούλεται κινεῖν καὶ πάθος ὃ οὐδ' ἂν ὁ τυχὼν ἀγνοήσειεν ὅτι πέπλασται.

2) Pol. II. c. 58 § 12 ὁ συγγραφεὺς αὐτῆς τῆς τερατείας χάριν οὐ μόνος ψεῦδος εἰςήνεγκε τὸ ὅλον, ἀλλὰ τὸ ψεῦδος ἀπίθανον.

Polybius (c. 61), eum lectoribus ostendere quidem Cleomenis lenitatem, qua is Megalopolim urbem a se captam civibus integram tradere voluisset, sed verbo eum non tangere constantiam civium Megalopolitanorum, qui dum sociis fideles se praeberent, patriam sibi eripi paterentur. Ex omnibus rebus quas contra Phylarchi fidem affert Polybius, una tantum recte, quamquam acerbius, animadversa est; sane constat Phylarchum erravisse, cum praedam Megalopoli a Cleomene exactam sex millium talentorum fuisse traderet (c. 62). Sed quam facile in his numeris erretur a scriptore, ipse Polybius docet, qui Phylarchum refutans exemplo Atheniensium, eorum *τίμημα* errore ductus permutet cum pretio totius rei familiaris Atheniensium.

Cum igitur res ipsas quas vel finxisset vel consulto mentitus esset Phylarchus nullas certas vel unam tantum indicaverit Polybius, contra de Arati libris ea scribit quae aptissima sint ad huius fidem debilitandam. Ea enim quae inter se et Antigonum intercesserunt, vere et libere exponere non ausus est Aratus, alia mutavit, alia plane omisit [1]), quin etiam sibi Macedones quam maxime infestos semper fuisse simulat, cum acriter in eos invehi soleat [2]); Polybius ea explevit (II. 48—51); narrat initia foederis cum Antigono facti; legatos Megalopolitanos Nicophanem et Cercidam Arato auctore ad Antigonum missos, omnino quae ad Antigonum amicitia conciliandum secreto agere instituerat

---

[1]) Pol. II. c. 40 § 9: — *ἀδήλως αὐτὰ διενοεῖτο χειρίζειν, ἐξ οὗ πολλὰ παρὰ τὴν αὑτοῦ γνώμην ἠναγκάζετο καὶ λέγειν καὶ ποιεῖν πρὸς τοὺς ἐκτός — ὧν χάριν ἔνια τούτων οὐδ' ἐν τοῖς ὑπομνήμασι κατέταξεν.*

[2]) Plut. Arat. c. 38 *οὓς (Μακεδόνας) αὐτὸς ἐν ταῖς πράξεσι καταστρατηγῶν καὶ καταπολιτευόμενος, ἐν δὲ τοῖς ὑπομνήμασι λοιδορῶν διετέλει.* Et Cleom. c. 16 *τουτονὶ δ' αὐτὸν Ἀντίγονον εἰρηκὼς κακὰ μύρια, δι' ὧν ἀπολέλοιπεν ὑπομνημάτων.*

Aratus. Quis autem quid hac in re verum esset contra Aratum primus ad lucem protulerat? Non Polybius primus, sed Phylarchus [1]), cuius fidem hac in re contra Aratum invitus firmare coactus est Polybius. Apparet, quod etiam ultro expectare potuimus, Arati libros laboravisse communi vitio quo fere omnes posterorum *αὐτοβιογραφίας;* se ipsum cum defendere, sua gesta cum lectori probare studerent et quasi excusare, a vero interdum graviter aberrabant. Cuius rei etiam illustre exemplum servavit Plutarchus. Aratus, ait, cum Athenienses (a Macedonibus) liberare vellet, Piraeum occupare dolo conatus est; quod se fecisse ipse in commentariis omni pignore negat [2]). Qua culpa ut se purgaret [3]) plane ridiculas ineptias lectori probare conatus est Aratus, quas Plutarchus ex ipsius commentariis apposuit. Narrat enim Aratus, Eginum quemdam fuisse et insidiarum auctorem et criminis, eundem cuius opera paullo ante Corinthum ceperat, hunc enim cum murum clam custodibus transcendere non potuisset et gradu fracto tergum vertisset, Aratum appellavisse, et fugientem eiusdem nomen crebro vociferatum edidisse, quasi adesset, quo dolo custodes terrere et effugere potuisset. Plutarchus recte addit, hoc parum credibile esse; potius credo, Aratum alicubi in vicino occultum, secreto abiisse cum spe se frustratum esse videret. — Statuere possumus hos commentarios, quos neglegenter

---

[1]) Plut. Arat. c. 38: *ὁμοίως* (id est idem quod Polybius) *δὲ καὶ Φύλαρχος ἱστόρηκε περὶ τούτων.*

[2]) Plut. Arat. c. 33 *αὐτὸς δ᾽ἀρνούμενος ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οἷς ἀπολέλοιπεν.*

[3]) Quamquam paullo post confessus est se vehementer incubuisse ut Athenas liberaret, Pl. Cleom. c. 16 *καίτοι πολλὰ παθεῖν καὶ παραλαβέσθαι φησὶν αὐτὸς ὑπὲρ Ἀθηναίων, ὅπως ἡ πόλις ἀπαλλαγείη φρουρᾶς καὶ Μακεδόνων.*

et forma satis rudi, magnis negotiis occupatum (*ἀμιλλησάμενον*) eum conscripsisse tradit Plutarchus [1]), non maiore fide dignos fuisse quam reliquas aliorum *αὐτοβιογραφίας;* partim egregium fontem praebent rerum cognoscendarum, cum scriptor rebus ipse interfuerit, partim minus iis tribuendum est, quia cum certo quodam consilio a veritate alieno conscribi solent.

Quae de rebus Achaeorum et de foedere Achaico tradidit Polybius II. c. 43 § 3 — c. 56 eadem sunt de quibus Aratus in commentariis multo uberius egit; ea quae de Nicophanis et Cercidae legatione et de proposito Arati addidit Polybius (c. 48 — c. 50 § 9) partim ut videtur ex Arati libris, partim e traditione amicorum Megalopolitanorum cognovit. Iam ex illa parte ostendi potest fallacissimum auctorem fuisse Aratum.

Belli enim Cleomenici cognitio satis accurata comparari potest e libris Plutarchi et Polybii, quorum uterque sua fere ex Arati commentariis hausit. Quaerentibus autem nobis quas partes in eo tutati sint Aetoli, apparet tria eorum gesta memorari. Primum ante bellum exortum tria oppida Peloponnesi quae tum cum iis stabant Orchomenum Tegeam Mantineam a Cleomene occupari siverunt Aetoli (P. II. c. 46 § 2 sq.); deinde medio bello Arato contra Cleomenem auxilium ab iis petenti abnuerunt (Plut. Ar. c. 41); denique Antigonus rex, cum exercitum per Thermopylas in Peloponnesum traducturus esset, ab Aetolis praeventus navibus copias movere debuit (P. II. c. 52 § 8). — Praeter haec nullum facinus contra Achaeos commissum eis imputare potuit Aratus. Quo magis mira accidit vehementia qua Polybius (haud dubie Arato auctore) Aetolorum

---

[1]) Plut. Arat. c. 2: ἃ παρέργως καὶ ὑπὸ χεῖρα διὰ τῶν ἐπιτυχόντων ὀνομάτων ἀμιλλησάμενος κατέλιπε.

malitiae omnem belli Cleomenici culpam tribuat: hos enim primum cum Antigono et Cleomene foedus iniisse tradit, hoc uno consilio ut Societatem Achaeorum divellerent, hac una causa, moti avaritia sua et odio in Achaeos [1]. Paullo post ait, Aratum *Aetolorum* nequitiam et audaciam metuentem, ut *Aetolorum* insidias everteret, contra *Cleomenem* Antigoni opes invocasse, itaque Cleomenem nihil amplius quam Aetolorum quasi sequestrem et ministrum fuisse insimulat [2]. Eodem modo verba Arati quae ad Antigonum nuntiare iuvenes Megalopolitanos iussit (quae vere tradit P. II. c. 49) ita instructa sunt ut Aetoli, non Cleomenes, maxima belli pars fuisse videantur. — Sed tamen ab initio ad finem belli nihil perpetraverunt Aetoli nisi quae supra exposui; id etiam Aratus ad Antigonum regem confessus est [3], et in commentariis scripsit [4], nempe Aetolos propter beneficia Achaeorum admodum recentia bellum aperte agere puduisse; ne conicere quidem possumus quid Polybius voluerit cum diceret Aetolos praeter alia sua facinora (*πρὸς τοῖς ἄλλοις*) Thermopylas clausisse (II. 52 § 8). — Aratus hoc modo fere ratiocinatus est: „Aetoli insita nequitia et avaritia, etiam odio Achaeorum, omnia fecerunt ut societatem Achaicam everterent, et id quidem post tam recentia beneficia ab Achaeis accepta; nihil quidem fecerunt contra Achaeos, cum illis beneficiis prohiberentur, sed domi

---

[1]) P. II. c. 45 § 1: *Ἀ. διά τὴν ἔμφυτον ἀδικίαν καὶ πλεονεξίαν φθονήσαντες, τὸ δὲ πλεῖον ἐλπίσαντες καταδιελέσθαι τάς πόλεις — ἀπετόλμησαν — κοινωνεῖν Κλεομένει καὶ Ἀντιγόνῳ.*

[2]) P. II. c. 47 § 4: *δεδιὼς τὴν τῶν Αἰτωλῶν ἀπόνοιαν καὶ τόλμαν, ἔκρινε πρὸ πολλοῦ λυμαίνεσθαι τὴν ἐπιβολὴν αὐτῶν.*

[3]) P. II. 49 § 7.

[4]) P. II. 46 § 1.

quietos se esse simulaverunt [1]), et eo magis huius fraudis poenas dare debent; itaque eorum insidiae me coegerunt ut invitus Antigonum contra Cleomenem invocarem. — Revera haec sunt *πάσης ἀλογίας πλήρη;* res ita se habuit: Aratus non Aetolorum sed Cleomenis metu inductus Macedones invocavit, sed id in commentariis confiteri non ausus, multis ambagibus tegere debuit, nisi voluit omnes Graecos scire, non pro libertate Peloponnesi (quam omnes fere urbes a Cleomene expectabant), neque pro causa humanitatis (nam humanitate inter omnes excelluit Cleomenes), neque pro societatis Achaicae salute (nam societatem Cleomenes principatu Spartae dato tueri voluit, Plut. Cleom. c. 15), sed pro potestate sua et imperandi cupidine se Peloponnesum Antigono prodidisse [2]); Aetoli in bello nullas, in Arati commentariis ingentes partes tutati sunt, et Aetolorum formidine usus est Aratus praetextu aptissimo. Quod cum ita sit, iam sine ulla dubitatione statuo, illud foedus, quod cum Cleomene et Antigono de Achaia diripienda iunxissent Aetoli, ab Arato fictum esse. Nempe auxilium in clade petivisse Aratum ab iis qui totius cladis soli auctores fuissent [3]); Aetolos bellum excitasse qui non modo ante, sed ne ad Sellasiam quidem ullis copiis Cleomeni opitulati sint! Quod id non fecerunt, potius adscribo irae cuidam ob urbes tres Peloponnesi a Cleomene iis ereptas (P. II. c. 46 § 2 *Κλεομένους πεπραξικοπηκότος Αἰτωλοὺς καὶ παρῃρημένον πόλεις*); nam prorsus ridiculum est quod Aratus et Polybius scribunt (ibid. § 3) *Aetolos* has urbes pes-

---

[1]) P. II. 49 § 7: *ἐὰν Αἰτωλοὶ — τὴν ἡσυχίαν ἄγειν ὑποκρίνωνται, καθάπερ νῦν.*

[2]) Cfr. infr.

[3]) Plut. Arat. c. 40—42 ex Arato hausta esse cum Droysenio (Hellenismus II. p. 512) tum mihi persuasum est.

sum dedisse (*ἀπολλύντας!*) eo quod *Cleomenes* eas dolo cepisset. — Deinde quod Thermopylas clauserunt, factum est contra Antigonum, non contra Achaeos; et mirari tantum possumus eos non plus fecisse contra opes Macedoniae adeo crescentes proditione Arati.

Iamvero ad Phylarchum reversus, ea recensebo quae Polybius emendanda et mutanda sibi esse putavit, sive nomine adversarii sui apposito, sive minus. Nam hoc eorum scriptorum certamen etiam in levioribus rebus apparet. Plutarchus Arati ingenium describens, ait nonnullis, qui e commentariis Arati tantum iudicarent, eum in disserendo rudiorem visum esse, quod iudicium Phylarchi esse videtur; Polybius autem eloquentiae laudem diserte ei vindicat [1]. Deinde tam multa e Phylarcho nobis servavit Plutarchus, ut illum cum Polybio conferre possimus in his rebus:

I. Polybius tradit Archidamum, fratrem Agidis, metu Cleomenis motum, eiusque imperandi cupidine cognita, e patria decessisse et Messenen effugisse [2]. Phylarchus contra ait eum post mortem fratris Spartam reliquisse ne Leonidae obnoxius fieret [3]. Hoc autem multo cre-

---

1) Pl. Arat. c 3: *καίτοι γεγονέναι κομψότερον εἰπεῖν ἢ δοκεῖ τισιν, ἐκ τῶν ὑπομνημάτων κρίνουσιν.* — Pol. IV. 8 § 1: *καὶ γὰρ εἰπεῖν — δυνατός.*

2) Pol. V. 37 § 2 et VIII. 1 § 3.

3) Ap. Plut. Cleom. I. 1. In rebus Lacedaemoniorum (in vita Cleomenis) auctor fuit Plutarcho Phylarchus, quem iam paullo ante in vita Agidis (c. 9) laudat, ubi quaerit de origine templi Pasiphaae in oppido Thalamis. Cleom. c 1 narrat Archidamum post Agidem interfectum Sparta relicta Messenen perfugisse antequam Leonidas eum prehendere potuisset; itaque Archidamus a Leonida et Amphare sibi cavendum esse censuit; hoc Phylarchi esse apparet collato Polybio V. 37 § 1; etiam Cleom. c 5 Phylarchus auctor nominatur, et eum sequitur Plutarchus in enarrandis reditu et morte Archidami.

dibilius, quin etiam unice verum esse videtur. Eo tempore cum Agis necaretur, Cleomenes puer erat necdum adultus; pater eius Leonidas, cum eo Amphares et reliqui ephori, soli Lacedaemone imperabant. Sed magna pars populi Agidem regem desiderio prosequebatur, cui ultor legitimus non alius erat quam frater Archidamus; itaque nihil antiquius habebant ephori, quam ut hunc intercipiendo praevenirent, Cleomeni hoc nulli curae erat. Quod eo magis tenendum est, quoniam cohaeret cum altera quaestione, quis Archidamum Spartam reversum interficiendum curaverit.

II. Polybius enim tradit [1]), Archidamum paullo post patriae revisendae cupidum, a Cleomene veniam petivisse ut Spartam rediret, eumque stulte eius fidei se credidisse, quem paullo ante inimicissimum recte habuerat [2]). Nicagoras enim quidam Messenius, qui domus suae et omnium bonorum Messenae Archidamum participem fecerat, pro hospite suo cum Cleomene egit et veniam redeundi impetravit. Archidamum cum Nicagora Spartam reversum statim Cleomenes interficit, Nicagorae parcit. Huius perfidiae multis annis post Cleomenes poenas dedit. Nicagoras enim, simulatione grati animi et amicitiae, cum Cleomenem in Aegypto ad aulam Ptolemaei conveniret, in fidem eius se insinuavit, deinde Sosibio prodidit. — Phylarchus autem de hac Nicagorae proditione idem fere scripsit, sed eius odii aliam causam fuisse, pretium praedii non solutum [3]); contra Archidamum ab ipso Cleomene in patriam revocatum esse, qui regnum duplex integrum restituere statuisset, ut ephororum gratiam et auctoritatem aequare et co-

---

1) P. V. 37 § 2 sqq.
2) Cfr. VIII. 1^b § 3—6
3) Plut. Cleom. c. 35.

hibere posset. Sed ephori et Ampharis socii, qui antea Agidem interfecerant, etiam in urbe adeo praevalebant, ut Cleomene invito Archidamum redeuntem insidiis paratis intercipere auderent [1]). Etiam hac in re, ut in superiore, Phylarchi narrationem veram esse credo. Constat Cleomenem socium regni quaesivisse, paullo post enim fratrem suum Euclidan in regnum adsumpsit [2]); et tum post Mantineam ab Arato captam adversarii eius, maiorem apud cives auctoritatem nacti, a bello longius ducendo eum arcere conabantur, itaque nunquam vehementius cupere debuit Cleomenes, regnum suum altero rege adsumpto contra eos firmare. Ut hoc enim admodum credibile est, sic Polybii narratio parum verisimilis, quasi Archidamus sine causa eidem vitam suam confidere statuisset, quem paullo ante ob avaritiam et crudelitatem effugisset; quod ipse Polybius tanquam summae inconstantiae et stultitiae specimen miratur [3]). Aratus huius rei Polybio auctor non fuit, nam de fuga Cleomenis in Aegyptum facta, deque Nicagora hic nihil scripsit; potius credo, Polybium nimis credulum famae quae inter Achaeos et Arcades ferebatur, quae quidquid mali Spartae commissum esset Cleomeni tribueret, fidem habuisse de crudelitate regis Cleomenis, qui rumor quantopere creverit ostendit Pausanias [4]); is enim uxoris suae dilectissimae filium eum necavisse tradit.

III. Polybius tradit Ptolemaeum pecuniam quam Achaeis mittere solebat quin amplius solveret recusa-

---

[1]) Ap. Plut. Cleom. c. 5.

[2]) Plut. Cleom. c. 11. Hoc animadvertit Manso Sparta IV. p. 136.

[3]) P. VIII. 1b § 3—6.

[4]) Paus II. 9 § 1.

visse paullo ante pugnam ad montem Lycaeum factam (a. 226), et eodem tempore primum Cleomeni pecuniam misisse [1]). Plutarchus autem Phylarcho auctore [2]) narrat Ptolemaeum regem Cleomeni hanc pecuniam demum pollicitum esse, hac conditione ut matrem suam et liberos obsidum loco Alexandriam mitteret, postquam Argos a Timoxeno ei ereptum est (a. 223), et e verbis Plutarchi apparet tum omnino primum pecuniam a Ptolemaeo ei promissam esse [3]). Non dubitarem Polybio fidem habere, nisi is res veluti consulto admodum breviter tangeret. Accedit quod Aratus tradidisse videtur se ad annum 223 pecuniam a Ptolemaeo accepisse, siquidem Plut. Cleom. c. 4 et Arat. c. 41 ex Arato hausit. Ibi enim apparet Aratum etiam pecuniam accepisse eo tempore quo Cleomenes Corinthum cepisset (a. 223), nam Cleomenem Arato duplam pecuniam obtulisse legimus quam hic a Ptolemaeo accipiebat [4]). Itaque videtur Ptolemaeus tum demum genti Achaeorum pecuniam renuntiavisse, cum certior factus esset eos cum Antigono agere, et Polybius rem fortasse minus diligenter persecutus est ne ita clare appareret Aratum Macedones invocasse cum etiam a Ptolemaeo opes acciperet.

IV. Supplicium Aristomachi, qui Argivorum tyran-

---

[1]) P. II. 51 § 2: ἐπεὶ δὲ Πτολεμαῖος μὲν ἀπογνοὺς τὸ ἔθνος Κλεομένει χορηγῶν ἐπεβάλετο — —, οἱ δ' Ἀχαῖοι τὸ μὲν πρῶτον ἠλαττώθησαν περὶ τὸν Λύκειον — —.

[2]) Plut. Cleom. c. 22 — fin. fere e Phylarcho hausta sunt, exceptis c. 25 parte altera et c. 27, quae e Polybio contraxit Plutarchus, et cap. extremo.

[3]) Cleom. c. 22: Πτ. ἐπαγγελλόμενος αὐτῷ βοήθειαν, ἠξίου λαβεῖν ὅμηρα.

[4]) Pl. Cleom c. 19 διπλῆν ἐπαγγελλόμενος σύνταξιν ἧς ἐλάμβανε παρὰ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως.

nus, postea Achaeorum praetor fuerat, multas ob causas improbavit Phylarchus. Quae affert Polybius ad crimine crudelitatis Aratum levandum, parum ad rem faciunt. Plutarchus, omissis quibusdam rebus quas Polybius refutaverat, alias etiam causas e Phylarcho affert cur Aristomacho parcendum fuisset [1]): erat vir non male moratus, quo Aratus etiam familiari usus esset, qui huius auctoritate motus urbem Achaeis adiunxisset. — Polybius autem contendit Aristomachum etiam uno vitae suae die extremum supplicium meruisse, et illo quidem, quo octoginta nobiles Argivos interfecisset quod eos cum Arato res habere suspicaretur. Nunc omitto Plutarchum tale quid exposuisse de Aristippo, superiore tyranno [2]). Polybio hac in re fidem

---

[1]) Plut. Arat. c. 44 fin.

[2]) Plut. (Ar. 27) hoc narrat: Aratus iam antea saepe *Aristippo* insidias paraverat; tum scalis appositis cum paucis satellitibus murum adscendit et custodes confecit. Ubi illuxit tyrannus eum aggreditur; Argivi autem, quasi non de sua libertate ageretur, sed quasi arbitri essent in ludicro Nemaeo, quieti spectabant; Aratus in pugna vulneratus locum quem occupaverat tenuit usque ad noctem ab hostibus undique pressus. Iam tyrannus fugam cogitabat, sed Aratus huius rei ignarus, cum aqua deficeret, milites abduxit. Polybius haec tradit (II. 59. 8): Aratus cum Achaeis in urbem clam irrupit, et vehemens certamen magnaque pericula sustinuit pro libertate Argivorum, sed tandem tergum vertere coactus est quoniam ab iis Argivis quibuscum ei pactum erat, nullus motus fiebat, cum tyranni metu cohiberentur. Hactenus utrumque fere idem est excepto nomine tyranni. Sed Polybius addit Aristomachum paullo post de octoginta nobilibus Argivis supplicium sumpsisse. — Fortasse res ita explicanda est ut Aristomachus, qui post mortem Aristippi statim imperium suscepit (Ar. c. 29) iam antea Aristippo familiaris et socius imperii fuit. — Plutarchus iam hoc loco *Deinian* secutus est, quem c. 29 in rebus Aristippi laudat.

habendam esse censeo. Sed constat ob id facinus Aratum de Aristomacho supplicium sumere non potuisse. Nonne postea eum secum amicitia conciliare studuit? nonne summum inter Achaeos magistratum ille obtinuit? Si illius facinoris causa eum supplicio dignum esse crederet Aratus, pacem oblatam recusare nedum ipse pacem offerre, et in bello perseverare debuerat; quod cum non fecerit, illi facile ignosci posse Aratum censuisse apparet. — Immo huic crudelitati plane aliae causae fuerunt. Quae Plutarchus tradit ostendunt, saepius invidiam quandam et aemulationem fuisse inter Aratum et eos qui, cum antea tyranni fuissent, imperio abrogato cum Achaeis se coniunxissent. Sic Lydiades, Megalopolitanorum tyrannus, postquam foedere acceptus est, crebra et vehementi contentione cum Arato conflixit, quae etiam illi mortis causa fuit [1]). Aristomachus autem cum praeturam obtinuisset, Aratum invitum Athenis reverti iusserat [2]), in agrum Lacedaemoniorum invasurus; paullo post Aratus, ad Pallantium Cleomene occurrente exiguis copiis, cum Achaei multo maiorem haberent exercitum, magno cum suo dedecore impedivit quominus pugnam iniret Aristomachus [3]). Hac ira commotus Lydiades Arati nomen ad Achaeorum concilium detulit, et verisimillimum est hanc rem aemulationem Arati et Aristomachi in odium capitale auxisse. Certe Polybius aequi iudicis munere functus non esse videtur, qui cum Aratum debili argumento usus culpa levasset, Phylarchum acriter reprehenderit.

V. E Polybio discimus, Phylarchum interitum Man-

---

[1]) Pl. Arat. 37 et 35 fin.
[2]) Arat. c. 35.
[3]) Ibid. et Cleom. 4.

tineae ita exposuisse, ut animos lectorum ad misericordiam moveret et Arati Antigonique crudelitatem ostenderet. Sed ex iis quae a Phylarcho Plutarchus servavit, apparet etiam alias quasdam res tradidisse Phylarchum, quibus aut contrarium scripsit Polybius, aut quas silentio praetermisit. — Ac primum quidem Polybius cives Mantineae gravissima poena dignos fuisse contendit; paullo ante enim, cum ab Arato ad foedus Achaicum adducti essent, praesidium ab Achaeis petiverant, et trecentos cives Achaeorum cum conducticiis militibus ducentis intra moenia acceperant, mox bello intestino orto Lacedaemonios invocaverant et cum eorum auxilio praesidium Achaeorum trucidaverant. — Apud Plutarchum contra legimus praesidium Achaeorum a civibus et Spartanis ex urbe pulsum esse [1]). Ex illis Polybii verbis „στασιάσαντες πρὸς σφᾶς" cuique patet quid revera factum sit. Aratus urbem invita magna civium parte foederi Achaico adiunxerat; pauci qui cum eo faciebant, praesidio alios cohiberent necesse erat; sed mox maior pars seditionem excitavit, quam Achaei frustra armis supprimere conati, ab adservariis interfecti sunt. Polybius minus recte semper de civibus „οἱ Μαντινεῖς" loquitur, quasi iidem fuissent qui praesidium ab Achaeis petivissent, iidem qui interfecissent. Neque animadvertit iis qui illam „libertatem", ab Arato vi et armis impositam et praesidio defensam, recusarent, nihil aliud restitisse quam ut occasione data eisdem armis „liberatores" pellerent, vel si abire nollent conficerent. — Deinde Polybius (II. 58 § 12) omisit quod tradit Plutarchus (Ar. c. 45) nobilissimos cives urbe ab Achaeis recuperata trucidatos esse. Quid verum sit, diiudicari nequit; sed certe Polybius in recensendis

---

[1]) Cleom. 14 συνεκβαλόντες τὴν φρουρὰν τῶν Ἀχαιῶν.

poenis a civibus Mantineae sumptis, aliam rem omisit quam ne iracundiae quidem et ultionis praetextu defendi posse recte animadvertit Plutarchus; nempe Mantineae nomine abolito Antigoneam urbem nominaverunt. — Etiamsi igitur concedimus Phylarchum nimis acribus coloribus pinxisse cladem Mantineae, tamen satis constat Polybium in alteram partem aberravisse, eo studio ductum nequid culpae in Arato haereret. — Plutarchus contra in vitis Cleomenis et Arati prudenter fontibus usus esse, et feliciter plerumque scopulos evitavisse mihi videtur.

VI. Ea quae de pugna ad Sellasiam facta tradidit Phylarchus, nihili facienda esse patet, cum contuleris Polybii accuratam et copiosam huius pugnae descriptionem (II. c. 65—70). Polybius hoc loco omnes ingenii sui et prudentiae vires ostendit et mirum quantopere inter illos scriptores minores effulgeat cognitione rerum, peritia, sana mente, quam facile palmam ferat et lectorem ad fidem inducat. Phylarchi [1]) contra narratio per se suspicionem movet. Damoteles, inquit, ab Antigono mercede corruptus, fraude Cleomenem irretivit; is enim a rege iussus exquirere quid in animo haberent Illyrii et Acarnanes, qui ne alterum cornu circumvenirent metuebat Cleomenes, consulto falsum rettulit nuntium, quo factum est ut regis frater ab Illyriis dolo superaretur; et mox ipse Cleomenes, suis adversariis Macedonibus iam fere profligatis, tergum vertere cogeretur ne undique hostes adorirentur. Ineptae sunt eiusmodi ambages scriptoris, qui cum heroem suum invictum haberi studeat, huic studio veritatem anteponat et incertis rumoribus fidem habeat.

VII. Res Antigoni et Cleomenis post pugnam ad

---

[1]) Plut. Cleom. c. 18.

Sellasiam fere easdem eodemque modo exposuerunt Polybius et Plutarchus; quamquam hic (Cleom. c. 32—37) de Cleomene Alexandriae degente deque eiusdem morte aliquanto uberius agit, multas narrationes, facete dicta, nomina apponens quae non omnia apud Polybium (V. c. 35—39) extant. Itaque haec brevi componam:

Plut. c. 34 (Pol. c. 36) Sosibius, Magae fratri regis insidias laturus, Cleomenis auxilium petit quod is abnuit dicens „si fieri posset etiam plures fratres regi procreandos potius esse." Id Polybius non tradit. Tum Sosibium copiis conducticiis Graecis diffisum Cleomenes bono animo esse iubet quod multi ex iis Peloponnesii sint, quocunque ipse vocet ultro secuturi. Id apud utrumque idem (cfr. Plut. *κἂν μόνον νεύσῃ.* — Pol. 36 § 4 *οἷς ἐὰν νεύσωμεν ἡμεῖς μόνον* —). Addit Plutarchus dictum quod tum ferebatur, Cleomenem in Aegypto leoni inter oves versanti similem esse. Idem dictum paullo ante Sosibio tribuit Pol. (c. 35 § 13).

Plut. c. 34 (fere eadem uberius Pol. c. 35); comparationem cum Api non habet Polybius.

Plut. c. 35 (Pol. c. 37 sq.). Nicagoras Messenius Alexandriam venit. Ei in terram descendenti obviam fit Cleomenes forte ad portum obambulans (Pl. *ἔτυχεν ἐν τῇ κρηπῖδι τοῦ λιμένος περιπατῶν*, Pol. c. 37 § 8: *καταλαμβάνει Κλεομένη καὶ τὸν Παντέα καὶ μετ' αὐτῶν Ἱππέαν ἐν τῷ λιμένι παρὰ τὴν κρηπῖδα περιπατοῦντα*). Fere omnia h. l. eadem; quae differunt sunt causa odii Nicagorae, quem etiamnunc aes debitum a Cleomene poposcisse tradit Plutarchus; etiam epistola Nicagorae qua Sosibius Cleomenem perdere instituit, non eadem est; Plut. tradit in ea scriptum fuisse Cleomenem ubi naves et pecuniam ad bellum gerendum a rege accepisset, *Cyrenen* oppugnare animum induxisse; Polybius ait in litteris scriptum fuisse Cleomenem, si a rege

auxilia et pecuniam impetrare non posset, regi ipsi insidias paraturum esse. — Epistolam a Sosibio post *aliquot* dies ad regem perlatam esse ait Polybius, post quattuor Plutarchus.

Plut. c. 36, quae tradidit de Ptolemaeo Chrysermi filio, amico regis, qui cum aliquamdiu amicitiam ergo Cleomenem simulasset, forte veram mentem ei ostendisset, non tradit Polybius.

Plut. c. 37 (Pol. c. 39) omnia fere eadem nisi quod Polybius multas res minores omittit; Cleomenem propter servum quemdam propositi conscium, cui diffideret, aliquanto celerius quam conventum esset foras effugisse; neque Hippotae, neque eiusdem Ptolemaei Chrysermi hoc loco mentionem facit Polybius; caedem contra Ptolemaei urbi praefecti uterque tradit; Polybius aliter et brevius narrat Cleomenem carcerem in arce effringere et captivos liberare frustra conatum esse; dictum quoddam Cleomenis, mortem Hippotae et Pantei omisit (utriusque huius viri paullo ante mentionem fecit Polybius, c. 37 § 8, sed Hippotas apud eum est Hippias).

Plut. c. 35, narrat supplicium matris et liberorum Cleomenis, quod omisit Polybius.

Iam clarum est Plutarchum non e Polybio hausisse, sed utrique eundem auctorem fuisse, quem Polybius mutavit (in rebus Nicagorae) et contraxit. Eum auctorem Phylarchum esse has ob causas statuo: narratio Plutarchi eos colores prae se fert quos Phylarchum adamasse scimus; quae de Nicagora tradit cohaerent cum Phylarchi traditione de morte Archidami; denique mortem Antigoni eodem modo exposuit Polybius quo Plutarchus, et is Phylarchum auctorem nominat [1]).

[1]) Pol. II. 70 § 6; Plut Cleom. c. 30.

Itaque Arati fide satis impugnata, Phylarchi contra Polybium aliquantum defensa, nobis apparuit huic etiam quaedam debere Polybium, et inprimis cognitionem rerum Cleomenis summi viri huius praesertim opera ad nos pervenisse.

CAPUT III.

QUIBUS FONTIBUS USUS SIT POLYBIUS.

I. Vita, Amici.

Polybius Lycortae filius Megalopolitanus [1]) quo anno natus sit ignotum est. Obiit post belli Numantini finem, cuius belli historiam scripsit [2]), annos natus 82 [3]). Ipse tradidit a. 180 cum Lycorta et Arato sibi legationem in Aegyptum decretam esse, quamquam minori legitima aetate natu [4]). Quam autem aetatem lex Achaeorum ad munera publica capessenda constituerit nescimus, sed certe triginta annos amplius natos esse legatos voluit, cum in consilium ei tantum admitterentur, qui hanc aetatem assecuti essent [5]). Itaque inter annos 213—210 natus, circa a. 130 obiisse videtur. Aratum, quem paullo ante Polybium natum veneno confecerit Philippus rex, non vidit Polybius; Philopoemenem, qui obierit cum ad res publicas gerendas pri-

[1]) De vita Polybii cfr. K. W. Nitzsch Polyb., ab eo laud. Henzen Quaestt. Polyb.; Hertzberg p. 302 et qui ab eo laudantur; Merleker Achaica p. 94 sqq.; Nissen, die Oekonomie der Gesch. des P. Rhein. Mus. 1871. p. 241 sqq.

[2]) Cic. Acad. II. 12.

[3]) Lucian. Macrob. c. 22.

[4]) P. XXV. c. 7 § 5.

[5]) P. XXIX. c. 9 § 6.

mum accederet Polybius (a. 183), iuvenis tantum vidit, et cum aliis illustrium Achaeorum filiis urnam Philopoemenis gestavit [1]); in eius memoriam tres libros scripsit, quibus de Philopoemenis iuventute copiose, brevius de rebus aetate virili gestis, egit [2]). Res in hac laudatione [3]) scriptas in historia fere repetivit [4]); in hos de Philopoemene libros Polybius collegit quae tunc fere inter populares, in primis inter principes Achaicae societatis viros, de Philopoemene ferebantur (sic P. II. c. 68 § 1 „φασί", ferunt, Antigonum post pugnam ad Sellasiam iuvenem collaudavisse; sic. P. XI. c. 16 § 5 Philopoemenem defendit contra criminationes eorum qui eum in proelio ad Mantineam pugnam detrectavisse credebant, „οὐ φυγομαχῶν, ὥς τινες ὑπελάμβανον"); praecipuus certe ei auctor fuit pater Lycortas. Is enim res a Philopoemene gestas plerasque praesens vidit; eum equitatui praefectum interfuisse scimus pugnae cum Nabide a. 290 gestae, (P. ap. Liv. XXXV. c. 25—30, P. ap. Plut. Phil. c. 14); etiam inter eos erat, pro quorum salute Philopoemen senex vitam dedit (P. ap. Plut. Phil. c. 20), et paullo post eius mortem ultus est. — Quae de Arato scripsit, magna ex parte eidem fonti, traditioni patris et amicorum, attribuo; II. c. 48 sqq.; IV. c. 8 (mores Arati), c. 9—13 (pugna ad Caphyas), c. 67—76 et 82 (bellum sociale), Aratus fere primum in narratione locum obtinet, neque, ut sunt qui credant, haec causa esse potest, quod Polybius Arati commentarios consuluisset, nam hi ultra annum 221 non procedebant. Accedit quod in iis partibus Megalopo-

---

1) Plut. Phil. c. 21.
2) P. X. c. 21 § 5 sq.
3) Ibid. § 8 τόπος ἐγκωμιαστικός.
4) Ibid. § 7.

litanorum saepe diserte mentio incurrit; Aratus per duos viros Megalopolitanos cum Antigono agit (II. 48 § 3 et sqq.; consentaneum est eius urbis civibus etiam eas res probe cognitas fuisse, quas ne Aratus quidem vere in commentariis exponere ausus erat; IV. c. 13 Megapolitanorum copiae cur pugnae ad Caphyas non interfuerint diserte additur. Has coniecturas confirmat quod ipse testatur, res Graecas quas describat partim se ipsum praesentem vidisse, partem audivisse ab iis qui interfuissent [1]).

Post mortem Philopoemenis ipse ad rempublicam gerendam accessit, et quae ab eo tempore (183) scribit pleraque sunt τὰ αὐτῷ βεβιωμένα. Legatione in Aegyptum, ipsi cum patre et Arato decreta a. 180, eum prohibuit mors Ptolemaei regis [2]). Aliquo tempore post tandem, in bello Persico, videmus eum certa quadam rei publicae gerendae ratione probata, cum gratia et honore inter Achaeos degentem. Praecipuarum autem partium Achaeorum duces erant Aristaenus et Diophanes, qui unicam Achaicae Societatis salutem inesse censebant in fide et obsequio erga Romanos diligenter observandis, et Philopoemen cum suis. — Aristaenus a. 197 praetor Achaeos a Philippi amicitia ad societatem Romanorum traxit [3]), cum ingenti omnium amicorum consensu; sed aliquanto post, cum tertium praetor (a. 185) legato Romano Q. Caecilio Metello de Spartanorum et Messeniorum iniuriis querenti assentarentur

[1]) P. IV. c. 2 § 2.

[2]) Markhauser (der Geschichtschreiber Polyb., seine Weltanschauung und Staatslehre, München 1858, p. 74) ait se certe scire „dasz er als noch nicht 30jähriger Mann in Aegypten gewesen." Aliter Pol. ipse, XXV. c. 7 § 6.

[3]) P. XVIII. c. 13.

Aristaenus et Diophanes [1]), gravis orta est disceptatio, in qua tunc altera pars quidem superavit, sed quae postea saepe iterata est. — Alterius partis dux Philipoemen cum etiam probe cognovisset Achaei ut Romanis bello resisterent fieri non posse, tamen dignitatem societatis Achaicae et leges intactas servare studuit, quamquam ubi id legibus salvis fieri poterat, Romanis ut obsequerentur suadebat. Utrique legum auctoritatem magni aestimabant, sed Aristaenus ei anteponebat amicitiam Romanorum, Philopoemen nulla re eam infringi patiebatur [2]). Cum hoc autem stabant Lycortas, Polybius, initio etiam Archon. Distinguendum autem est inter opiniones Polybii historiarum scriptoris et Polybii Achaicae Societatis fautoris; de illis alio loco agemus. In bello Persico hi tres viri aliquamdiu pacem cum utraque parte servare studentes, in suspicionem Romanis venerunt, et a. 169 C. Popilius Laenas legatus Auli Hostilii consulis ad contionem Achaeorum eorum nomina delaturus fuisse ferebatur, nisi probabili caruisset praetextu [3]). Sed eodem anno auxilium Romanis decretum est e sententia Archonis, quocum faciebant Polyaenus, Arcesilaus, Aristo, Xeno, frustra obnitentibus Apollonida, Stratio, Lycorta [4]). Videtur quidem haec consultatio habita esse in Senatu, *βουλῇ* [5]), cui tunc non interfuisse videtur Polybius, sed tamen mirum

---

[1]) P. XXIII. c. 10.

[2]) P. XXV. c. 9, 9^a, 9^b.

[3]) P. XXVIII. c. 3.

[4]) P. XXVIII. c. 6.

[5]) Primae huius capitis sexti sententiae recte intellegi nequeunt, sed ostendere videntur Senatores tantum, non contionem a Polybio designari. De illis Merleker Achaica p. 86: „Senatores erant magistratus et electi Achaeorum, qui magistratibus essent functi et praestantiores civium viderentur".

est et animadversione dignum, Polybium non addidisse quid ipsi de hac re visum sit. — Praefectus tum creatus est equitatui P., Archon praetor. Accidit autem ut paullo post ad contionem accederent legati Attali, fratris Eumenis, qui tunc, nondum calumniis obtrectatus, fidelis Romanorum amicus habebatur, orantes ut honores Eumeni olim decreti restituerentur. Archon praetor pauca quidem pro iis verba fecit, sed mox destitit, metuens ne lucri causa hoc agere videretur. Tum Polybius longam habuit orationem, qua Achaeis persuasit ut Attalo morem gererent [1]. — Eodem anno Polybius legatus in Thessaliam missus est ad Q. Marcium, auxilia Achaeorum oblaturus; Marcius tum forte in eo erat ut sub Olympum montem Macedoniam intraret, Polybius agmen secutus mandatum non perfecit antequam Heraclei consedissent Romani; tum benigne accepto auxiliis non opus esse responsum ei est. Aliquamdiu etiam in castris moratus est, qua occasione oblata Marcius eum prohibere iussit ne Achaei mitterent copias ab Appio Centone qui tum in Illyria exercitum habebat, rogatas; cuius mandati perfidiam et dolum tunc certe non sensit Polybius [2]. Ex his omnibus fortasse effecerit quispiam Polybium cum Archone stetisse, et omnia ab eo Romanis amica fuisse. Fortasse quidem eo consilio scripta sunt ut hanc speciem praeberent, quamquam diserte non additur. Sed mihi credibilius videtur Polybium ad annum 167 usque cum Lycorta quam cum Archone fecisse. Verba quidem fecit pro Eumene amico Romanorum, idque consulto urget. Sed Archon, quem Romanis tum favere notum erat, id facere non ausus est; opinor propter eam ipsam

---

[1]) P. XXVIII. c. 7.
[2]) P. XXVIII. c. 10 sq.

rem Polybium tam libere agere potuisse, quod notum esset eum cum iis stare qui integritatem Peloponnesi omnibus rebus anteponerent. Deinde Q. Marcii ratio ita melius intellegi potest; sciebat opinor auxilium ab Achaeis oblatum non prorsus sincero animo offerri, contra legatos missos esse qui fere inviti necessitati cederent. Difficilius sane est e fragmentis Polybii efficere quid tunc de republica censuerit, nam postea cum scriberet id celare sedulo studuit. Aristaeni et Philopoemenis opinionibus compositis et explicatis addit illas fuisse honestas (*εὐσχήμονας*), has pulcras (*καλάς*), utrasque probabiles (*ἀσφαλεῖς*) [1]; eas diversas opiniones in quas tum Graecia discedebat, ita exponere studuit ut utrisque idem tribueret, neutris addictus videretur. Sed tamen alio loco se ipse recenset inter eos qui omnino nulla in re Romanorum adiutores, ut tunc Archo, neque usquam adversarios se praebuerant. (*Τριῶν διαφορῶν*) *μία μὲν ἦν τῶν οὐχ ἡδέως μὲν ὁρώντων κρινόμενα τὰ ὅλα καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης ἐξουσίαν ὑπὸ μίαν ἀρχὴν πίπτουσαν, οὔτε δὲ συνεργούντων οὔτ' ἀντιπραττόντων ἁπλῶς Ῥωμαίοις οὐδέν, ἀλλ' οἷον ἐπιτετραφότων τῇ τύχῃ περὶ τῶν ἀποβησομένων* ... [2]. Atqui prorsus iisdem verbis opinionem Lycortae contra Archonem exposuerat Polybius: „*ὁ μὲν οὖν Λυκόρτας ἔμεινεν ἐπὶ τῆς ἐξ ἀρχῆς προθέσεως, κρίνων μήτε Περσεῖ μήτε Ῥωμαίοις συνεργεῖν μηδέν, ὁμοίως μηδ' ἀντιπράττειν μηδετέροις*" [3]. Itaque ipse cum patre faciebat; et ubi dicit, Aratum fuisse societatis conditorem, Philopoemenem propugnatorem et perfectorem, conservatorem autem Lycortan et qui cum eo starent [4], certe his novissimis etiam se ipse

---

1) P. XXV. c. 9[b] § 8.
2) P. XXX. c. 6 § 5 sq.
3) P. XXVIII. c. 6 § 3.
4) P. II. 40 § 2 *βεβαιώτην δὲ τοῦ μονίμου αὐτὴν ἐπὶ ποσὸν γενέ-*

indicare voluit. — In aliis rebus etiam tum Lycortae socium fidelem se praebuit. Veluti cum a. 168 ab Achaeis contra Antiochum auxilia peterent Ptolemaei fratres, qui tum foedere iuncto una regnum Aegypti tenebant, et legati regum orarent ut his auxiliis Lycortas praeficeretur et Polybius, acriter in concilio Achaeorum Corinthi habito contra tendebant quicunque praeter Romanorum nutum et veniam nihil Graecis suscipiendum esse contendebant, Callicrates, Diophanes, Hyperbatus. Pro regibus verba fecerunt Lycortas, cui tum etiam Archon assentiebatur, et Polybius [1]. Postquam, cum de bello gerendo in conventu ordinario decerni legitimum non esset, paullo post alterum de hac re consilium convocatum est, Polybius oratione sua probavit auxilia regibus salva Romanorum fide mitti posse, Lycortas id egit ut Ptolemaeos Antiocho pluris faciendos esse demonstraret. Sed tandem hi etiam superati sunt dolo Callicratis; is enim epistolam recitavit Q. Marcii, qua admonebat Achaeos ut per legatos Antiochum et Ptolemaeos pace conciliare conarentur. Tum Polybius, ut ipse ait, ab incepto destitit, cum contra Marcii litteras verba facere nollet [2].

Postquam ad Pydnam debellatum est, Polybius quamvis caute egisset, huius studii poenas dedit societatis Achaicae integritatis etiamsi specie tantum conservandae. A. 166 in Italiam traductus, aliquamdiu Romae in urbe degit, donec Senatus decerneret quid viris e Graecia

---

σθαι Λυκόρταν καὶ τοὺς ταὐτὰ τούτῳ προελομένους ἄνδρας. Verba multum vexata ἐπὶ ποσὸν significant aliquamdiu (cfr. XXV. c. 9b § 3), nempe ad annum 167, quo anno Lycortae socii et amici Societatem tueri amplius non poterant. Aliorum sententias vid. ap. Merleker Ach. p. 99—101.

1) P. XXIX. c. 8 et 9; Polybii orat c. 9 § 1—5.

2) Ibid. c. 10 § 5.

evocatis fieret. Tum primum filios cognovit Aemilii Paulli, Fabium et Scipionem; libri mutuo dati, sermones de eorum librorum rebus habiti mox auxerunt familiaritatem [1]); denique cum viri Graeci ut per Italiae urbes disponerentur decretum esset, ei impetraverunt apud praetorem ut Polybio Romae manere liceret [2]). — Amicitiam Scipionis et Polybii, quae quomodo nata sit ipse dulci et venusta narratione, Platone digna, exposuit [3]), aluerunt frequentes congressus, venationes, quae foro et rostris praeferebat Scipio [4]).

Per annos 166—151 Romae, vel certe in Italia fuit Polybius; multos viros Graecos ibi vidit, qui legati ad Senatum missi erant, inter eos Menyllum, legatum Ptolemaei maioris, a. 162, quocum firma et diuturna amicitia iunctus erat [5]). Erat eo tempore Romae Demetrius a patre Seleuco Syriae rege olim obses senatui datus, quem venandi studium et consuetudo Polybio amicum fecerat [6]); is cum frustra a senatu veniam petivisset ut regnum Syriae sibi debitum occupare liceret, a. 162 Polybio auctore et auspice cum auxilio Menylli clam Roma profugit [7]). Saepe etiam legati Achaei a Senatu impetrare conabantur ut viri e Peloponneso evocati patriae redderentur, sic a. 164 [8]), a. 160 [9]), a. 155 [10]), a. 153 [11]), sed frustra. Ingens tum quotannis legatorum

1) P. XXXII. c. 9 § 4.
2) Ibid. § 5.
3) Ibid. c. 9. sq.
4) Ibid. c. 15 § 8 sq.
5) P. XXXI. c. 20 § 8.
6) Ibid. c. 22 § 3.
7) P. XXXI. c. 12, c. 20—23.
8) P. XXXI. c. 6.
9) P. XXXII. c. 7.
10) P. XXXIII. c. 1 sq.
11) Ibid. c. 13.

numerus a Graecia et Asia ad Senatum confluebat, ab iis Polybius cognoscebat quis ibi esset status rerum. Etiam Charops [1]), Attalus [2]), Heraclides [3]), alii quomodo Romae acciperentur ex *αὐτοψίᾳ* scripsit.

Ad traditiones hoc fere tempore ab amicis acceptas etiam pertinent quae de Eumene rege Pergami scripsit. Is fuit inter eos quos cum Achaeis Rhodiis aliis bellum Persicum suspectos fecit Romanis. Causam huius discidii qualem eam compertam habuit copiose explicavit Polybius. Praemittit se dubitantem de his rebus scribere, quae cum clam a regibus actae sint nimis incertae videri vel ad errores ducere possint (*εὐεπίληπτον ἐφαίνετο καὶ τελέως ἐπισφαλές*) [4]); itaque addit quibus auctoribus eas crediderit, non Romanis sed Graecis [5]); partem, ait, eae tum statim emanaverunt, partim paullo post ad eos qui circa Perseum degebant pervenerunt; ab his ego certior factus cognovi omnis malitiae quasi semen esse avaritiam [6]). Quod autem tum statim pervulgatum est, videtur hoc fuisse: Cydan quemdam Cretensem, ex intimis Eumenis, convenisse primum ad Amphipolim, deinde ad Demetriadem cum ducibus regis Macedoniae; praeterea Hierophonem quemdam non semel a Perseo ad Eumenem missum esse [7]). Frustra quid actum esset tum quaerebatur. De captivis actum esse Hierophon et Eumenes evulgaverunt, et Eumenes

---

[1]) P. XXXII c 22.

[2]) Ibid c. 5.

[3]) P. XXXIII. c. 14 et 16.

[4]) P. XXIX. c. 1b § 1.

[5]) Sed credibile est, quod etiam Polybius non negat, opinionem Romanorum multum valuisse, ut ea crederet quae per se fide digna non essent.

[6]) P XXIX c. 1f § 5.

[7]) Ibid. c. 1c § 1 sq. P. ap. Liv. XLIV. c. 24.

huius rei consulem certiorem fecit [1]). — Postea Polybius ab amicis Persei audivit, Eumenem 300 talenta poposcisse ne iuvaret bello romanos terra marique, 1000 talenta mercedem pacis patrandae cum Romanis [2]). — Fortasse hac in re nimis credulum se praebuit Polybius, et causam huius credulitatis coniectura assequi licet. Ait enim se hoc uno consilio de his rebus scribere quid verum videatur (τὸ δοκοῦν), ut exponat causam odii et suspicionis in quae post bellum ad finem perductum Eumenes apud Romanos inciderit; haec enim causam aliquam habuerint necesse esse putat [3]). Hos rumores igitur temerius accepit quia causam probabilem praeberent. At fieri potest ut duces Romani, qui tamdiu frustra tum malo tum nullo eventu in Thessalia et Macedonia bellum cum Perseo gesserint, calumniis obtrectaverint socios Pergamenos, ut ipsi culpa levarentur. Huius calumniae specimen praebet Valerius Antias [4]). Accedit quod Macedoniae viribus fractis non amplius opus erat Romanis auxilio Pergami; et Eumeni, quem antea coluerant, tum nocere conabantur [5]). Quodsi verum est, erraverit necesse est Polybius qui in rebus ab Eumene ipso gestis causam discidii quaesiverit [6]).

Num iam antea in Graecia de historiis conscribendis cogitaverit Polybius, quamquam verisimile est, non constat. Sed consilium operis sui, quale multis locis

---

1) P. ap. Liv. ibid. c. 27 fin.
2) P. XXIX. c. 1f.
3) P. c. 1b § 2 sq.
4) Ap. Liv. XLIV. c. 13.
5) Cfr. Mommsen R. G. I. p. 769.
6) Nihil contra Romanos admisisse Eumenem censent Mommsen R. G. I. p. 770, Nissen Untersuchungen p. 260 sq.; Hertzberg I. p. 202 opinatur Eumenem fortasse pacis parandae cupidum fuisse.

ipse exposuit, certe Romae demum suscepit, scilicet ut describeret qui factum esset ut spatio quinquaginta trium annorum (219—167) respublica Romana fere totum orbem cognitum sub ditionem suam redegisset. Quod his annis in exilio Romae comperit, id suis popularibus ostendere induxit. Multa erant quae nova et inaudita ei essent, multa quae admirationem moverent. Ac primum quidem reipublicae formam multum valuisse vidit ad ingentes illos imperii progressus [1]), et rationem imperii distributi inter consules, senatum, comitia describit qualem homini peregrino et Graeco qui quomodo singula instituta e superioribus reipublicae formis sensim emanaverint non plane compertum haberet, tum apparere debuit [2]). In cognoscenda arte militari Romanorum magnam operam posuit Polybius (hanc inprimis utilitatem comparavit ex itineribus cum Scipione factis), in dilectu et officio militum [3]), in ratione castrorum [4]), vallorum [5]), pugnae [6]); solet in his rebus consuetudinem Romanorum cum Graecorum comparare eiusque praestantiam ostendere [7]). — Laudationes funebres quas in foro audivit egregium iuvenibus incitamentum esse vidit, et cum admiratione eas describit [8]). Virtutes Romanorum eo maioribus laudibus effert, quo magis eas a Graecis neglectas et cum potentia Graeciae labefieri viderat; cultum et metum deorum [9]), fortitudi-

---

[1]) P. III. c. 2 § 6, c. 118 § 9.
[2]) P. VI. 11—19.
[3]) P. VI. c. 19—42.
[4]) Ibid.
[5]) P. XVIII. 18 et VI. l. l.
[6]) P. II. 33 § 6 et VI.
[7]) VI. c. 42; XVIII. 18.
[8]) P. VI. 53—55.
[9]) P. VI. 56 § 6 sqq.

nem periculis incitatam potius quam domitam [1]), priscam integritatem quae nulla pecunia corrumpi posset [2]), quamquam eam sua aetate iam rariorem esse ait [3]); fidem et dignitatem quae insidias et nocturna proelia, simulatam fugam improvisosque ad incautum hostem reditus sperneret neque astu magis quam vera virtute gloriaretur [4]). Sed non latuit Polybium has virtutes fere ad tempus actum pertinere; integritatis duo tantum insignia exempla profert, L. Aem. Paullum et P. Scipionem minorem; fidem et dignitatem in rebus gerendis colunt „veteres et moris antiqui memores", sed saepe a iunioribus superantur [5]); in bellis exiguum modo huius dignitatis superest vestigium apud Romanos [6]). Iuvenes Romani in pueros delicatos et meretrices sumptus faciunt, auditionibus et potationibus dediti sunt, Graecos mores quos Persico bello cognoverant imitati [7]); eo magis Scipio continentia sua inter omnes excelluit.

Quodsi tamen illas virtutes Romanorum indoli et naturae (*τῇ τῶν Ῥωμαίων αἱρέσει*) tribuit Polybius, hac re fallitur, opinor, quod quas coli videret ab iis viris Romanis quibuscum ipse mox firmo amicitiae vinculo iunctus est, eas toti genti adscripsit, et ingenium populi Romani iudicavit ex indole paucorum hominum. Cum Polybius ipse tum Livius [8]) tradunt res quae ma-

---

[1]) I. 20 § 11; III. 75 § 8; VIII. 3 sq.; XXVII. 8. 8. sq.

[2]) VI. 56; XVIII. 34 fin.

[3]) XVIII. 35.

[4]) P. ap. Liv. XLII. c. 47 med. P. XIII. c. 3 § 7.

[5]) Vid. adn. 4.

[6]) Vid. adn. 4.

[7]) P. XXXII. c. 11 § 4, cfr. XXXI. 24.

[8]) Locos Polybii vid. supr. De avaritia Romanorum cfr. Liv. XXXVIII c. 42; XLIII. c. 2; XXXIV. c. 4 (Cato de lege Oppia): „si nunc cum illis donis Cineas urbem circumiret, stantes in publico invenisset quae acciperent."

teriem praebent ad iudicium prorsus diversum de Romanis eius temporis ferendum. Sed ideo excusari debet Polybius quod Romanos, quantumcunque deflexerant apriscis virtutibus, tamen longissime abesse vidit a turpibus et corruptissimis Graecorum moribus [1]). Quamquam excusare eum non possumus si amicorum suorum Romanorum eiusmodi facinora admiratur, quae prorsus opposita sint illis virtutibus; Scipio maior enim, cum a. 202, in Africa castra habens, primum Poenos de pace agendo deciperet, deinde indutiis subito sublatis (*χάριν τοῦ μὴ δόξαι παρασπονδεῖν*) spe Poenorum abuteretur ad castra eorum nocturno impetu incendio delenda [2]), sane id fecit quod acriter reprehendendum esset Polybio; sed in Scipionem ideo magnis laudibus effert [3]).

Consuetudo quam habuit cum amicis Aemilii multum valuit ad pleniorem rerum cognitionem comparandam; quamquam singulas res ostendere non possumus. Exempli causa aliquot locos affero, ubi hunc fontem ipse indicat. Sic C. Laelius de ingenio et rebus gestis Scipionis maioris multa ei tradidit [4]). Aliquot dicta rettulit Polybius quae de viris illustribus inter amicos ferebantur. Sic Scipio maior aliquando dixit, se iudice inter omnes sollertia, fortitudine et prudentia excelluisse Agathoclem et Dionysium Siculos [5]); Aemilius Paullus saepe inter amicos Romae confiteri solebat, se nunquam formidolosius quidquam vidisse quam phalangem Macedo-

---

[1]) Cfr. P. VI. 56 § 13.
[2]) P. XIV. c. 3—5. Supra p. 147.
[3]) Ibid. c. 5 § 15.
[4]) P. X. c. 3 § 2 — c. 5.
[5]) P. XV. c. 35 § 6 Πόπλιον Σκιπίωνά φασι — ἐρωτηθέντα — εἰπεῖν.

num [1]. Catonis festive dictum tradidit de tribus legatis ad Prusiam missis [2]. Ad eundem fontem refero quae XXVI. c. 9ª Polybius tradit facta memorabilia Scipionis maioris; sane etiam plura eo pertinent, quibus nihil addidit Polybius.

Anni a Polybio Romae peracti non minus quam ad cognitionem rerum gestarum, magni fuerunt momenti ad eius opinionem conformandam de potentia Romanorum, de ratione qua Romam imperare deceret. Coetum eorum virorum illustrium qui cum imbuti essent amore artis et eruditionis Graecorum, elegantiae litterarum studerent, philosophos et poetas (ut Panaetium, Terentium, Lucilium iuvenem) circum se haberent, denique ab agresti et inculto priscorum Romanorum victu abhorrerent, eum coetum qui Scipionem maiorem quasi auspicem habebat, etiam coluit et admiratus est Polybius. Hi autem etiam in republica gerenda, ut videtur, certa quadam ratione comprobata [3], magnas partes tuiti sunt in illa imperii Romani constitutione, quam describendam sumpserat Polybius. Non solum quod magistratus capessere, necessariis suis et amicis honores addicere studerent [4], tantam in republica gratiam impetraverunt; maxime eos adiuvit praestantia ducum, qui ingenio, liberalitate, arte militari longe inter aequales excelluerint. Cum antea Italiae et Siciliae imperio fere contenti fuissent Romani, hoc brevi limite circumscribi nomen Romanum non passi sunt Scipio eiusque amici;

---

1) P. XXIX. c. 6 § 11: Λεύκιος — πολλάκις ἀνθωμολογεῖτο πρός τινας τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ μετὰ ταῦτα κ. τ. λ. —

2) P. XXXVII. c. 1h § 3: φασὶ τὸν Κάτωνα εἰπεῖν...

3) De consiliis Scipionis eiusque amicorum vid. Hertzberg I. p. 91—97 Nitzsch Polyb. p. 39—59.

4) Cfr. Mommsen I. p. 790 sq.

imperium, non fines, extendere, exercitus Romanos trans mare ducere, non spe praedae et agrorum, sed potentiae et gloriae, animos induxerant. Scipio primus in Africam bellum Hannibalicum traducendum sibi proposuit, quod consilium quam vehementer ab altera factione, quae tum Fabium ducem habuit, impugnatum sit scimus. — Libertatis Graeciae Flamininus auctor [1]), clarissimum quasi triumphum egit in Isthmiorum ludicro a. 196. — Eodem consilio etiam bella Aetolicum et Syriacum suscepta esse videntur; nempe ad Graeciae libertatem conservandam et patronorum munere recte fungendum necesse erat ut eos qui huic principatui restistere conarentur debellarent, neve unius victoriae gloria contenti cura absisterent; scimus Scipionem iam a. 194 senatum primum monuisse ut Antiochi insidias caveret, alterum consulem in Macedoniam mitteret [2]). —

---

[1]) Leges pacis a senatu constitutas (P. XVIII. c. 44 § 1, non a decem legatis, ut Liv. XXXIII. c. 24 et c. 30 ait) decem legati cum Q. Flaminino imperatore ad Philippum pertulerunt. Num quae de iis in senatu controversia fuerit nescimus. Si qui fuerunt qui iam tum de regionibus Graecis sub Romanorum ditionem subiungendis cogitaverint, ii tum in Senatu nihil perpetraverunt. Sed tamen cum ceterae Graeciae atque Asiae urbes haud dubie liberarentur, aliquot urbes — inter quas Corinthus, Chalcis, Demetrias, claustra Graeciae — ut vacuae Romanis traderentur et quid iis fieret legati ut viderent decretum est. Legatis autem has urbes copiis Romanis occupatas retineri propter metum Antiochi regis necessarium videbatur (Plut. Flam. c. 10 in). In eo discrimine rerum Flamininus, quod „veram caritatem ac maiestatem apud omnes nominis Romani" (Liv. XXXIII. c. 31) id postulare censeret, post longam contentionem (totos dies Corinthi consilia agitabantur Liv. l. l.) a legatis impetravit ut libertatem Graeciae veram esse sinerent, Corinthum Achaeis traderent, mox Chalcida et Demetriadem suas leges habere iuberent.

[2]) Liv. XXXIV. c. 43.

Eam rationem virorum Graecis artibus eruditorum saepe exposuit Polybius; sic in oratione legatorum Rhodiorum: „non eodem, inquit, consilio vos Romani quo reliqui homines bellum geritis. Alii enim omnes bella suscipiunt ut imperium augeant et urbes; reditus, naves capiant; vobis tanta est deorum benignitas ut nulla re huiusmodi indigeatis cum totum orbem sub vestram dicionem verteritis. Quid igitur maxime vobis curae esse oportet? nempe ut laude et gratia apud omnes dignos vos praebeatis" [1]. Alibi „Romani, ait, etiam speciem avaritiae quam maxime fugientes, bella gerere solebant donec superarent et adversarii sibi obediendum esse confiterentur" [2]. — Sed etiam ante bellum Persicum longe a pristina nobilitate deflexisse videmus Romanos; ea pars quae magis quid utile quam quid honestum esset quaerebat in Senatu superabat. Eae artes quas a propria Romanorum indole alienas esse censebat Polybius, tum florescebant; fallacibus indutiis Perseum [3], perfidis consiliis amicos, ut Achaeos [4]; Rhodios [5], calumniis Eumenem circumvenire studuerunt Romani.

Praeter eos Syrii [6] et alii, aliquanto post Poeni, mutatam Romanorum rationem experti sunt. Huius belli Punici tertii ineundi consilium etiam Polybio vehementer displicuit, quamquam id timide et oblique castigavit [7]. Qui saepe huius partis fuit princeps, Cato,

---

1) P. XXII. c. 6 § 2—5.
2) P. XXXVII. 1b.
3) Liv. XLII. c. 43 cfr. c. 47.
4) P. XXVIII. c. 10 sq.
5) P. XXVIII. c. 15 § 4.
6) Cfr. P. XXXI. c. 12 § 7.
7) P. XXXVII 1a—1c; vid. infra.

longe tamen inter alios excelluit; is etiam interdum cum altera parte fecit: sic eius potissimum opera Rhodii a. 167 bellum effugerunt [1]); neque, ut videtur, restitit Aemilio Paullo qui Macedoniam administrans speciem et nomen libertatis ei vindicavit [2]). Sed praeter Catonem ea pars quae tum in Senatu superabat nullos tulit insignes viros. Duces imperiti male res gerunt; ubi fraude hostem vincere non possunt, nihil proficiunt et rem Romanam in extremum periculum ducunt. In tali discrimine viri egregii alterius partis, Aem. Paullus in bello Persico, in bello Punico tertio P. Scipio, infamiam a nomine Romano arcuerunt et victoriam ei reddiderunt. Sed Aem. Paullus cavere non potuit ne hac victoria immodice uteretur Senatus. Polybius diserte testatur eum aegre tulisse criminationes a Callicrate principibus Achaeorum imputatas [3]); cum Perseo rege captivo leniter egit Aem. P. [4]); Polybium reum benigne domum accepit.

Eventus docuit eam libertatem veram quam Flamininus Graeciae dari et a Romanis leni patrocinio in perpetuum conservari voluit, cuius opprimendae fere invitus et necessitate coactus auctor fuit Aemilius, subsistere non potuisse. Sed quamquam ideo Scipionis amicorum conatus digni erant qui a Graecis respuerentur, quippe qui vani fuerint et eventum plane contrarium proposito habuerint, et nobis vani et inutiles videntur, tamen laudanda erat cum Graecis tum nobis virtus ducum eius partis, inprimis integritas Flaminini, Aemilii Paulli, Scipionis minoris.

---

[1]) Liv. XLV. c. 25.

[2]) Liv. XLV. c. 29 sq., c. 18; de statu Macedoniae cfr. Hertzb. I. p. 198 sq.

[3]) P. XXX. 10 § 11.

[4]) Plut. Aem. P. c. 37.

Polybius autem cum Romam veniret, eam sententiam avide amplexus est, cuius iam antea Flaminium quasi auspicem admiratus erat, quam nunc ab eis etiam coli videbat, qui se ignotum, patria extorrem, proditorum insidiis circumventum comiter acciperent. Hinc factum est, ut aequum et benevolum iudicem rerum Romanarum se praebuerit, saepe etiam nimis benevolum, nam etsi non omnia in moribus et consiliis Romanorum comprobavit, tamen nimis pellucet eius studium persuadendi Graecis ut salutem suam petant ex obsequio reipublicae Romanae, quamquam huius reipublicae administratio tunc non amplius penes Scipionis amicos erat.

Verum quantumcunque valuit in mente Polybii admiratio Scipionis eiusque amicorum, frustra laboraverunt qui hanc ob causam fidem historicam Polybii debilitare voluerint. — Qua de re cum iam alibi egerim, nunc animadvertisse sufficiat, tantum abesse ut hac familiaritate motus consulto vel invitus falsa scripserit Polybius, ut etiam de priscis rebus Romanis minime e mente Scipionis iudicaverit, sed in iis, ut videtur, etiam auctorem suum Fabium sequi soleat. Id apparet e iudicio quod tulit de lege a C. Flaminio a. 232 de agro Picentino distribuendo lata. Nam neque ipsa lex, ager publicus civibus Romanis tradendus, neque ratio qua senatus pervicaciam vicerit, ferendo ad plebem, a Scipionis moribus aliena erat. At quid de Flaminio Polybius? Is, ait, instituit illam potestatem popularem (*δημαγωγίαν καὶ πολιτείαν*) quae ut brevi dicam initium fuit Romanis civitatis corruptae [1]). Eam legem adeo

---

[1]) P. II. c. 21 § 8. Id iudicium de Flaminio ad Fabium refero; ubi in rebus bellicis Flaminium vituperat, id certe fecit Fabio auctore, II. 33 § 7. Idem iudicium de eodem III. c. 80.

pessimi exempli fuisse certe non ab amicis Romanis didicit.

Anno 151 Polybius Scipionem in Hispaniam proficiscentem (is enim sub Lucullo ibi stipendium meruit) secutus esse videtur [1]; et eo itinere Alpes, Galliae partem, mare mediterraneum visit [2]. Insequenti anno Scipio a Lucullo in Africam mittitur ut elephantes inde petat, ibique interest victoriae Massinissae de Poenis reportatae [3]. Polybium tunc cum eo fuisse constat, Massinissa enim a. 148 mortuus est [4] cum Polybius in Graecia degeret; igitur eius colloquium cum Massinissa (IX. 25. 4) hoc anno habitum est. Nam Scipio Massinissam antea non viderat [5], et Polybium antea solum in Africa fuisse haud credibile est. Scipio tunc quidem in Hispaniam rediit, sed eodem anno, cum bellum finitum esset, Romam revertisse videtur. Romae Catonem permovit ut is a Senatu reorum Achaeorum in patriam reditum impetraret; Polybius etiam Catonis mentem tentavit, cum cuperet senatum iubere ut in eosdem honores quos antea habuissent restituerentur; sed operam suam Cato abnuit [6]. Tum in Graeciam profectus, a. 149 Lilybaeum abiit Polybius iussu Manilii, sed cum Corcyram venisset in patriam rediit [7], ibique mansit ad annum 147, quo anno in Africa cum Scipione fuit; mox sub finem anni 146 audita Corinthi

---

[1] App. Hib. c. 53 sqq. Cfr. de hac parte vitae H. Nissen die Oek. d. G. d. P. p. 241 sqq.

[2] Itineri a Polybio in Galliam facto Scipionem interfuisse me iudice constat e P. XXXIV. c. 10 § 7.

[3] P. ap. App. Lib. 71.

[4] App. Lib. 105 sq.

[5] App. Lib. c. 72; addo Cic. de Rep. VI. c. 9.

[6] P. ap. Plut. Cat. c. 9. P. XXXV. c. 6

[7] P. XXXVII. c. 1e.

expugnatione in Graeciam reversus, post profectum decem legatorum, qui sex menses in Peloponneso degerant [1]), ipse a. 145 ad res Peloponnesi administrandas peregrinationem suscepit, qua magnos honores ubique adeptus est. Iam paullo ante integritatis bonum exemplum edidit, cum Diaei eorumque qui cum eo damnati essent domus et bona a quaestore venirent; cum enim decem legati quidcunque ex iis rebus sibi eligere vellet ei sine pretio tradi iussissent, neque ipse quidquam accepit, et amicis ne quid ex iis praestinarent suasit (c. 9). Post peregrinationem perfectam aliquamdiu Romae degit, unde a. 144 in Graeciam reversus est [2]).

Ad reliquum vitae spatium pertinent peregrinationes in Asiam et in Aegyptum factae. Eas cum Scipione susceptas esse sunt qui contendant, etsi nusquam traditur; haec itinera referunt ad legationem Scipionis in Asiam et Aegyptum, quem fere comitatus est Polybius (Ael. Tact. c. 1 *Σκηπίωνι συγγενόμενος*). De ea legatione hi auctores nobis supersunt: *Posidonius* cuius scripta servaverunt Athenaeus [3]) et Plutarchus [4]) et ut videtur Diodorus [5]); *Trogi Pompeii* tradit Iustinus [6]); deinde

---

[1]) P. XL c. 10.

[2]) P. XL. c. 13.

[3]) Athen. XII. p. 549 D. (fr. 11 Mueller) Ποσειδώνιος ὁ Στωικός, συναποδημήσας Σκιπίωνι τῷ Ἀφρικανῷ κληθέντι εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ θεασάμενος αὐτὸν (Ptolem. Physconem) γράφει ἐν ἑβδόμῃ τῶν Ἱστοριῶν οὕτως κ. τ. λ.

[4]) Mor. p. 777 A. Σκηπίων μετεπέμψατο Παναίτιον, ὅτε αὐτὸν ἡ σύγκλητος ἐξέπεμψεν ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα, ὥς φησι Ποσειδώνιος.

[5]) Diod. XXXIII. c. 28a.

[6]) Just. XXXVIII. c. 8 § 8 sqq.: „(Ptol. Physcon) obvius legatis Romanorum, Scipioni, Africano et Spurio Mummio et L. Metello, qui ad adspicienda sociorum regna veniebant, pro-

Athenaeus [1]); Valer. Max. IV. 3. 13 [2]). Itaque e Posidonio scimus Scipionem cum quinque servis iter fecisse, alia; idem tradit se ipsum et Panaetium comites fuisse Scipionis [3]). Iustinus docet cum Scipione legatos fuisse Sp. Mummium fratrem Achaici et Metellum (cons. a. 142). Ex his intellegimus Ciceronem erravisse cum scriberet, Panaetium unum omnino Scipioni comitem fuisse [4]). Deinde huic Ciceronis loco qui plurimum tribuunt, statuunt legationem factam esse a. 143, („ante censuram", Scipio 142 censor creatus est). Sed alio loco Cicero ordinem rerum Scipionis alium exponit, primum censuram deinde legationem [5]).

---

cedit." — Quae sqq. de habitu Ptolemaei, valde similia sunt iis quae tradit Pos. ap. Ath.

[1]) Pol. fr. 77 (Dind.) ex. Athen. VI. p. 273: Σκιπίων — ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τῆς συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας ἵνα τοῖς προςήκουσιν ἐγχειρισθῶσιν, πέντε μόνους ἐπήγετο οἰκέτας, ὡς ἱστορεῖ Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος, κ. τ. λ.

[2]) Scipio Aem. post duos inclitos consulatus totidemque suae praecipuae gloriae triumphos *septem* servis sequentibus officio legationis functus est. Et puto, Karthaginis ac Numantiae spoliis comparare plures potuerat, nisi — et q. sq. Addunt interpr. auct. de vir. ill. 58 *duos* tantum servos commemoratos.

[3]) Illud etiam confirmatur ab Athen. XIV. 657: Ποσειδώνιος συγγενόμενος Σκιπίωνι τῷ τὴν Καρχηδόνα ἑλόντι (Mueller III. p. 245 eum locum laudat contra Bakium (Posid. Rhod. reliq. doctrinae Leid. 1810), qui propter temporum rationem statuerat loco Athenaei leg. esse: Ποσ. ὁ Στ. Παναιτίου μαθητής, τοῦ συναποδημήσαντος Σκιπίωνι κ. τ. λ.

[4]) Cic. Acad. II. 2 § 5, cum P. autem Africani, historiae loquantur, in legatione illa nobili quam ante censuram obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse.

[5]) De Rep. VI. c. 11 (Somn. Scip.) „cum autem Carthaginem deleveris, et triumphum egeris censorque fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam deligere iterum cons. absens.

Valerius Max. legationem post alterum consulatum et Numantiam excisam posuit; quod verum esse non potest, nam Scipio 132 triumphum egit, 129 mortuus est, et a. 131 sq. Crassus bellum in Asia gessit cum Aristonico, legati autem Asiam pacatam obierunt. Itaque cum ex illis locis de tempore legationis nihil certi effici possit, facile adducor ut probem rationem Muelleri. Is enim „ita" ait „Posidonius in historiis agit, ut singulis libris unius fere anni res pertractet. Iamvero quae e libro V afferuntur pertinent ad res anni 138, quo captus est Demetrius; et quae e libro VIII de siculo servorum belli leguntur, referenda sunt ad annum 134. Igitur ex his colligitur legationem (quam uberrime prosecutus est P. libro VII) pertinere ad annum 136 vel quod malim ad a. 135. Eodem ducit series fragmentorum Diodori" [1]). Addo cum hac ratione etiam melius convenire quae scripsit Cic. de rep. III. 35, ubi Scipionem a. 129 Sp. Mummio haec dicentem facit: „Rhodii apud quos nuper fuimus una." Illud *nuper* enim potius dictum esse credo de spatio sex quam quattuordecim annorum.

Quodsi autem legatio a. 136 vel 135 facta est, statuendum est Polybium ei non interfuisse. Locus Athenaei, siquidem recte (quod dubito) Polybii nomen cum Posidonii ibi compositum est, ad historiam belli Numantini referendus esse videtur. Nam Polybii opus absolutum fuit aliquanto ante 134, itaque non credibile est librum XXXIV post 135 scriptum esse; accedit quod multi loci (e. gr. XV. 30 § 10) scripti sunt post peregrinationem.

Ad Numantiam cum Scipione fuisse Polybium non constat, cum nihil de ea re traditum habeamus; neque

---

1) Mueller fr. H. Gr. II. p. 20.

certi quidquam statui potest e locis Arriani [1]) vel Pausaniae [2]); sed cum Arrianus dicat eum Scipioni adfuisse in multis et magnis bellis, cum aliis tum bello Carthageniensi, credibile est hoc bellum ab eo indicari.

De reliquis libris Polybii (*περὶ τὰς τάξεις* P. IX. 20, *περὶ τῆς περὶ τὴν ἰσημερινὸν οἰκήσεως*), de Posidonio qui eius historias continuavit, de veterum testimoniis vide locos a Schweighausero collectos in praefatione editionis suae.

II. Itinera.

(*Graecia*). Quam probe cognoverit situm Graeciae docent excursus geographici huc illuc sparsi. Multas urbes et loca ipse adiit (ex gr. a. 145) et ubique animum advertit ea quae ad rerum gestarum cognitionem interessent. -- Ad ipsius indagationem refero quod ait (II. 41 § 12) urbes Patras, Dymas, Tritaeam, Pharen quae primae ad Societatem coierant columnam societatis signum non habuisse. IV. 78 agit de insigni Athenae imagine Alipheirae in oppido posita, quae cur vel a quo consecrata sit etiam incolas nescire addit. — XVIII. c. 16 § 2 agit de colosso decem cubitorum in honorem Attali ab Atheniensibus in foro iuxta Apollinem posito, et tanquam de re nota et saepe visa ait *τὸν κολοττόν*. —

---

[1]) Arr. Tact. c. 1 (Πολύβιος) ὃς καὶ Σκιπίωνι τῷ Ῥωμαίῳ συνεγένετο, πολλοὺς καὶ μεγάλους πολέμους διαπολεμοῦντες ἄλλους τε καὶ ἐν ᾧ καὶ Καρχηδόνα τὴν ἐν Λιβύῃ εἷλέν τε καὶ ἠνδραπόδισεν.

[2]) Paus. VIII. 30 § 4 de statua Polybii Megalopoli posita cum inscriptione „ὡς ἐπὶ γῆν καὶ θάλασσαν πλανηθείη, καὶ ὅτι σύμμαχος γένοιτο Ῥωμαίων, καὶ παύσειεν αὐτοὺς ὀργῆς ἐς τὸ Ἑλληνικόν. Et ibid. paullo post: ὅσα μὲν δὴ Πολυβίῳ παραινοῦντι ὁ Ῥωμαῖος ἐπείθετο, ἐς ὀρθὸν ἐχώρησεν αὐτῷ· ἃ δὲ οὐκ ἠκροᾶτο διδάσκοντος, γενέσθαι οἱ λέγουσιν ἁμαρτήματα.

XVI. c. 16 sq. Zenonem vituperat quod is situm Spartae et regionis vicinae perperam descripserat, quem ipsum probe cognovisse etiam II. c. 64—71, cfr. V. 24. 9, apparuit. Addit Zenonem, a Polybio per epistolam monitum, errorem confessum esse et graviter tulisse [1]).

(*Asia*). Eadem diligentia usus est in itineribus per Asiam factis, quod apparet cum ex multis aliis [2]) tum e descriptione Ponti (IV. c. 39—45). Ibi ea quae ipse vidit et exploravit (c. 39 § 11) opponit sermonibus nautarum [3]). Verumtamen nisi certius quid tradere potest, diligenter attendere solet eas traditiones, inprimis incolarum. Sic de fossis subterraneis in locis desertis Mediae (XC. 28 § 3 sq.) *ἀληθὴς* ait *παραδίδοται λόγος διὰ τῶν ἐγχωρίων*. Sic de Athenae imagine Alipheirae posita (IV. 78) *τοὺς ἐγχωρίους* interrogavit. Sic VIII. c. 30 § 7 sqq. e traditionibus Tarentinorum oraculum tradit quo inducti mortuos intra murum sepelire consueverant, quod etiam tum cum Tarenti degeret *ἔτι καὶ νῦν*) facere solebant.

X. c. 48 exponit quomodo Nomades (Apasiacae) Oxo flumine traducto in Hyrcaniam perveniant: *εἰσὶ δὲ δύο*

---

1) P. XVI. c. 20 § 5—7.

2) Nonnullas descriptiones ab aliis auctoribus mutuatus esse videtur, quamquam non ad verbum eas exscripsit, sed id solum tradidit quod ipsi verum videretur. Sic X. c. 27 § 4—13 describit urbem Ecbatana, regiam, templum Aenae, quae non ipse inspexisse videtur; sed etiam hic verum tradere studuit, et reprehendit auctores qui res exaggeraverunt ut lectorum animos stupefacerent. — Sextum et Abydum (XVI. c. 29) ipse certe vidit; sed in descriptione alios auctores sequitur, et paucis rem absolvit (§ 3).

3) Aut ante 167 in Asiam iter fecit aut hanc partem de Ponto postea inseruit.

λόγοι περὶ τούτου τοῦ πράγματος, ὁ μὲν ἐπιεικής, ὁ δ' ἕτερος παράδοξος, οὐ μὴν ἀδύνατος. XII. c. 12 § 3 narrat traditiones populares Bargyliae incolarum de imagine Artemidis, quam etsi sub dio collocata sit neque pluvio neque nive madefieri credant (*καταπεφήμισται δὲ καὶ πεπίστευται παρὰ τοῖς Βαργυλιήταις*), quod etiam nonnullos auctores memoriae mandavisse ait. — Sardibus cum esset, colloquium habuit cum Chiomara, Ortiagontis uxore (Plut. Mor. p. 259), quae, ut videtur, ei narravit quid passa esset cum captiva in Romanorum castris retineretur et qua animi magnitudine igmominiam a centurione quodam acceptam ulta esset (XXII. c. 9).

(*Italia*). Praeterea Italiam et Alpes, Africam, Hispaniam, Galliam se peragravisse et mare externum navigavisse ipse statuit [1]); de situ Italiae egit libr. XXXIV. c. 10 sq. Horum itinerum omnes libri vestigia ferunt; multa in narrationem auctoris alicuius quem sequitur inseruit, quae ipse ita se habere compererat. Sic III. c. 40 § 8 narrans res anni 218, Mutinam coloniam Romanam esse de suo affirmavit; at Liv. XXXIX. c. 55 § 6 tradidit eam coloniam a. 183 deductam esse; Polybius de hac urbe scripsit qualem ipse postea vidit [2]). Multa huiusmodi continet II. c. 15, de pretio frumenti in parte septemtrionali Italiae, alia; deinde ita pergit: ii qui hanc regionem peragrant cum in hospitium devertunt, non de pretio singularum rerum cum hospite pacisci solent, sed rogant qua pecunia hominibus singulis hospitium dare velit (§ 5). Hoc est certe scriptoris

---

[1]) III. c. 48 § 12, c. 59 § 7.

[2]) Mommsen I. p. 558 et 667 statuit consilium coloniae deducendae iam ante Hannibalis adventum susceptum et initum fuisse, sed muris nondum absolutis supervenisse hoc bellum. Quo auctore nescio.

qui ipse hanc viam fecerit et regionis propria expertus sit. Neque minore evidentia sunt quae scripsit XII. c. 4 § 5—14 de more bubulcorum Romanorum, porcos tubae sonitu ad se vocandi [1]. — Praeterea *Tarentum* eum adiisse iam supra monui (VIII. c. 30 § 7 sqq.); *Locris* saepius se degisse ait (XII. c. 5 § 1); e Locrorum traditionibus popularibus de urbe Locris condita Aristotelis opinionem contra Timaeum defendit. Opera Polybii factum est ut Locrensibus remitterentur auxilia navalia quae in bellis Hiberico et Delmatico iis imperata erant. Bellum Delmaticum fuit anni 157 (Pol. XXXII. c. 19); alterum bellum videtur esse bellum Lusitanicum vel Celtibericum anno 153 Q. Fulv. Nobiliore consule susceptum, itaque iis annis vel paullo post Locris fuit. — *Lacinii* vidit aram ab Hannibale propter Iunonis Laciniae templum aestatem agente a. 205 conditam et dedicatam cum ingenti rerum gestarum titulo Punicis Graecisque litteris insculpta (Liv. XXVIII. c. 46, P. XV. 1. 11); numeros ab Hannibale inscriptos, quos eosdem Silenus memoriae mandavisse videtur, tradidit III. c. 33 § 18 et 56 § 4. De templo Iunonis egit libr. XXXIV. cfr. c. 11 § 9—11. — Descriptio situs *Agrigenti* (IX. c. 27) movet ut credam, etiam in Siciliam iter fecisse Polybium.

(*Hispania*). Quae de Hispania tradit (XXXIV. c. 8 sq.) ipse in itinere exploravit; qua diligentia usus sit ostendit X. c. 11 § 4, ubi quod tradiderat auctor suus, 'ambitum urbis Carthagenae fuisse quadraginta stadiorum, (οὐκ ἀγνοῶ διότι πολλοῖς εἴρηται τετταράκοντα)

---

[1] Eo magis miror quod fuerit qui negaret Polybium iter trans Alpes fecisse, nempe quod locos situmque perperam descripsisset. Vide Reichardi locos ap. Lachmann de fontibus Livii II. 40 adn. 4 et ap. Lucas l. l.

refutat, cum ipse eum viginti stadiorum esse comperisset. Contra imprudens libr. III. de situ Sagunti erravit, cum auctorem suum Fabium nimis presse sequeretur.

(*Aegyptus*). In Aegyptum pervenit Polybius regnante Ptolemaeo Euergeta Physcone (XXXIV. c. 14), qui post mortem Philometoris (anno 145 P. XL. 12. 5) regnum solus obtinuit. Quae Alexandriae vidit describit tria genera hominum, ipsos cives indigenas, homines sollertes et ad artes pacis propensi (ὀξὺ καὶ πολιτικόν); milites, mercenarios omnes, grave regno onus (βαρὺ καὶ πολὺ καὶ ἀνάγωγον); cives Alexandriae, mixtum genus, Graecos magna ex parte sive Graecis oriundos, a Physcone saepe militum libidini deditos et his cladibus tum debilitatos (cfr. Trog. Pomp. ap. Justin. XXXVIII. c. 8 § 7). Etiam alibi mores Alexandrinorum quos tum cognovit tetigit; sic. XV. c. 30 § 10 ait si qui in urbe tumultus existunt pueros non minorem quam viros partem in iis tueri, neque Alexandriae id quidem secus atque Carthagine.

(*Africa*). Cum Scipione annis 150 et 146 in Africa fuit; diligentissime etiam hoc itinere usus est, ut cognitionem suam rerum gestarum et situs locorum augeret. Quoties copia ei fuit, cum viros in illa regione auctoritate insignes, tum homines minore loco natos interrogavit de rebus gestis, sui dicti memor regionis alicuius incolas non solum ut proverbii loco fertur optimos auctores esse status ventorum, sed etiam popularium suorum mores et indolem optime fere cognovisse [1]; itaque quae de Hannibalis indole ipsi Carthaginienses ei tradiderant, quae postea Massinissa affirmaverat et accuratius ei exposuerat (IX. 25 § 2 et § 4), opponit

[1]) IX. 25 § 3.

pervulgatae apud Romanos de eo opinioni. Eodem modo Gulussa regulus, qui etiam de moribus Afrorum quaedam Polybio tradidit (cfr. Plin. VIII. 10. 10, Pol. XXXIV. c. 15), certe auctor fuit rerum quas narrat XXXIX. c. 1 sq.; colloquium cum Hasdrubale duce Poenorum habuit Gulussa (c. 1), tribus diebus post interpretis munere functus est in colloquio Scipionis et Hasdrubalis. — Denique multa de hac regione tradidit quae ipse exploravit (veluti descriptionem loti XII. c. 2); hoc studium optime ei provenit benignitate Scipionis; is enim classem ei commisit qua „scrutandi illius orbis gratia" circumveheretur (Plin. V. 1. 1).

Breve ea composui, quae, cum ad itinera Polybii et ad cognitionem in iis comparatam pertineant, tanquam exempla esse possint rationis qua uti solebat et utilitatis ex iis captae. Magnam operam posuit in explorando et describendo orbe terrarum; non eum fugit quanto melioribus conditionibus ipse sua aetate ad res pernoscendas uteretur quam scriptores superiores, cum Romanorum exercituum expeditiones fere omnes terrae partes pervias fecissent; duces Romani ei idem fuerunt quod Eratostheni Alexander Magnus [1]). Huic studio dedit totum librum XXXIV. De India quam non ipse visit, optimum auctorem habuit Eratosthenem [2]); de Brittannia quo non magis pervenit, fere, ut videtur, satis habuit refutavisse commenta aliorum, ut Pytheae, et qui ei credidit Eratosthenis [3]); rationis quam tenuit specimen servavit Strabo. Nam cum incolae quidam Massiliae et Narbonis et Carbilonis principum illius regionis urbium, qui forte Scipionem convenerant, a

1) Cfr. III. c. 58 § 1 — 59 § 8.
2) XXXIV. c. 13 § 2.
3) XXXIV. c. 5 sq.

Scipione de Brittannia interrogati, nihil memorabile se habere dicerent quod de ea insula narrarent, etiam miracula a Pythea de ea tradita falsa esse ex eo collegit [1]). Ne hoc quidem eum fugit, suam et aequalium suorum cognitionem certis limitibus circumscriptam esse, ultra quos progredi non licebat [2]). Sane etiam interdum erroribus sive auctorum sive ipsius se decipi passus est, quamvis magna fuerit diligentia; iam veteres, ut Strabo, aliquos animadverterunt errores [3]). Omnino eius cognitio rei geographicae nobis nunc manca et infirma quaedam videtur; sed ipsi hoc studium nequaquam irritum, immovero maximo usui fuit. Nam ut ortum est e cupiditate veri pernoscendi, sic auxit ei aciei celeritatem, facultatem veri a falso distinguendi; hac autem facultate inter aequales vix ullus ei par fuit. Deinde magno pretio sunt ea quae ad rerum gestarum cognitionem pertinentia in itineribus collegit; peregrinationes non solum magis fidum, sed etiam pleniorem et graviorem rerum gestarum auctorem praebuerunt Polybium.

III. Scriptores.

Duo genera fontium rerum gestarum scriptori suppeditare ait Polybius; narrationes ab aliis memoriae et litteris mandatas (ἡ ἐκ τῶν ὑπομνημάτων πολυπραγμοσύνη), et narrationes ab iis qui rebus interfuerunt scriptori traditas (ἐξ ἀνακρίσεως) vel ab ipso investigatas (ἐξ αὐτο-

---

1) P. XXXIV. c. 10 § 6 sq.

2) P. III. c. 38 § 1 —3.

3) Sic recte reprehendit Strabo quod absurde scripserat Polybius ab Haemo Thraciae monte ad mare Adriaticum prospici posse. XXXIV. 12 § 1 sq.

ψίας) [1]. Acerrime autem in eos invehitur qui ad res gestas conscribendas satis instructos se esse putent, cum in urbe sua commentariorum copiam praesto habeant, vel e bibliotheca vicina conquirere possint [2]. Sed tamen hanc rationem rerum cognoscendarum ex aliorum commentariis etiam a Polybio neglegi non potuisse, quin etiam ei necessariam et gravissimam fuisse perspicuum est. Nam cum fontium cognitionis tria genera fuisse statuerit, quorum primum commentariis, historiis, fontibus denique scriptis contineatur, secundum aliis monumentis historicis, ut actis, inscriptionibus aliis eiusmodi, tertium ipsius scriptoris visu et contemplatione, ad hoc genus exiguam tantum librorum partem, novissimam quidem, neque eam totam, referre poteris. Reliqua duo ita coniuncta sunt ut continuae narrationes rerum gestarum fere ad prius genus pertineant, singulas res, sed quae saepe maximi momenti sint, ex altero insertas esse appareat [3].

---

[1]) P. XII. c. 27 cfr. XXI. c. 15 § 8.

[2]) P. XII. c. 27 § 4, cfr. c. 25^d sq. et c. 25^i § 1.

[3]) Polybius postquam antea librorum argumentum se elegisse dixit annos 219—167, IV. 2 § 2 addit res superiores ei ex aliorum scriptis repetendas fuisse (ὡς ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς γράφειν); eo pertinent libri I—III. Maiorem partem historiarum ita dividit, ut alteram partem ab iis audiverit qui rebus adfuissent, alteram ipse viderit (ὥστε τοὺς μὲν καθ' ἡμᾶς εἶναι, τοὺς δὲ κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν· ἐξ οὗ συμβαίνει τοῖς μὲν αὐτοὺς ἡμᾶς παραγεγονέναι, τὰ δὲ παρὰ τῶν ἑορακότων ἀκηκοέναι). Sed clarum est eum etiam earum rerum quibus aequalis fuerit, non omnibus ipsum adesse potuisse, etiam has magna e parte e scriptis aliorum petere debuit. Deinde de novissima parte librorum (XXXV—XL) dicit III. c. 4 § 13 (loco post inserto) τῶν πλείστων μὴ μόνον αὐτόπτης, ἀλλ' ὧν μὲν συνεργός, ὧν δὲ καὶ χειριστὴς γεγονέναι. Haec Nissen (die Oekon. p. 277) ita disposuit: αὐτόπτης lib. XXXV. sq., συνεργός libr. XXXVII. sq., χειριστής libr. XXXIX fuit (libr. XL continuit conspectum materiei et nominum).

Scriptorum quibus usus est Polybius nomina recensenti, apparet exiguam sane modo partem nominum scriptorum inprimis Graecorum nobis notam esse quorum libros legisse Polybium credibile est. Priscam rerum Romanarum memoriam repetiturus, *Fabium* solum sequi satis habuit, quem in bello Punico primo enarrando cum *Philino* Agrigentino composuit. Iamvero libro VI. in explicanda republica Romana plures consuluit auctores. Primum quae de ea *auctores Graeci* scripserant cognovit sed ut inutilia reicit [1]). Deinde eo libro ad Fabium provocavit, si quidem recte Valesius ad Polybium haec Suidae rettulit: *Φάβιος Πίκτωρ, συγγραφεὺς Ῥωμαίων, οὗτος λέγει ἄρχοντι Ῥωμαίων μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ σφετερίσασθαι ἐκ τοῦ δημοσίου ὁτιοῦν;* fortasse haec post VI. c. 56 locum suum habent. *Catonem* secutus est libr. VI. c. 2 § 3—8, cuius verba contracta servavit Plinius H. N. XIV. 90: „Cato ideo propinquos feminis osculum dare (dixit), ut scirent an temetum olerent". Vid. etiam supr. p. 87. Sed pleraque huius libri VI. ipse Romae et in castris romanis observavit. — Quo tempore Romae Polybius degebat, multorum sane cognovit satis recentes historias (ut Cincii Alimenti, P. Cornelii Scipionis, A. Postumii Albini), sed eos auctores habuisse Polybium nusquam apparet, *Albini* tantum mentionem fecit (XL. c. 6) [2]). — In describendo bello Hannibalico Polybius eum potissimum auctorem secutus est, cuius traditio etiam apud Livium

---

[1]) I. 64 § 4: *οἱ μὲν γὰρ ἠγνοήκασι, οἱ δ' ἀσαφῆ καὶ τελέως ἀνωφελῆ πεποίηνται τὴν ἐξήγησιν.* Inter alios Timaeum designat, cui in rebus Romanis nullam fidem habet. Cfr. II. 16 § 15.

[2]) Ad *omnes* scriptores romanos (recentiores) provocat XVIII. § 8, de integritate Aemilii Paulli et Africani minoris: *ὅμως τὸ νῦν εἰρημένον ὑφ' ἡμῶν ὁμολογούμενον εὑρήσει παρὰ πᾶσιν ὁ ζητῶν.*

extat. Sed ut supra exposui, ideo optime de hac parte rerum romanarum meritus est, quod de aliquot rebus novam instituit inquisitionem, et cum eo auctore novos fontes composuit. Itaque praeter foederum tabulas in Capitolio conditas, et inscriptionem Lacinianam hos de bello Hannibalico auctores consuluit: *Silenum*, *Sosilum*, *Chaerean*, *auctorem* aliquem *Carthaginiensem* (nempe auctorem dico qui non Romanus res e mente Carthaginiensium exposuerit; vel rerum Carthaginiensium pleniore cognitione instructus fuerit), *Fabium*, *fontem* quem cum Livio *communem* habet, denique *scriptores* minimum duos annalium *Romanos* quorum etiamsi nomina ignota sunt, aliquot vestigia supra invenimus. — De bellis in Hispania et in Africa a Scipione maiore gestis fere secutus est fontem quem cum Livio commune habet, praeter eum consuluit *epistolam Scipionis*, qua is consilia sua de bello in Hispania gerendo exposuerat; etiam alios auctores indicavit nominibus non additis (X. c. 9 § 2: „*οἱ συγγραφεῖς*). — Eodem modo de Hieronymo Siciliae rege aliquot habuit auctores nobis ignotos (VII. c. 7 § 11: *τινὲς τῶν λογογράφων τῶν ὑπὲρ τῆς καταστροφῆς τοῦ Ἱερωνύμου γεγραφότων*).

De initiis foederis Achaici *Aratum*, de rebus Cleomenis *Phylarchum* adhibuit. Annorum 221—179 (mortem Philippi) fontes parum nobis noti sunt. Nam cum multa in hac parte ex ipsius *libro de vita Philopoemenis* iteraverit [1]), alia ex Achaeorum tabulario, alia ex

[1]) Plutarchus etiam his Polybii libris usus est in describenda vita Philopoemenis; partes ex iis sumptas accurate distingui possunt a rebus aliunde petitas; eas indicavit Nissen Krit. Unters. p. 280—287. Ad vitam Philopoemenis a Polybio scriptam hae partes historiarum Polybii pertinere mihi videntur: *II. c.* 67 *sq.;* partes a Philop. actae in pugna ad Sellasiam, et

amicorum Achaeorum et Megalopolitanorum qui rebus interfuerint narrationibus (vid. supr.) composuisse videatur, magna tamen pars superest res a Philippo domi militiaeque terra marique gestas continens, quae [praeter libr. XVI. (a. 201) auctoribus Rhodiis tribuendum, et libr. VII. c. 9, tabulario Macedonico] fonti scripto et *auctori* quidem alicui ex iis *qui res Philippi regis memoriae mandaverint* tribuenda est. Eos auctores indicavit P. VIII. c. 10 § 5, ***τοὺς συγγραφεῖς τοὺς γράφοντας τοῦ Φιλίππου τὰς πράξεις.*** In rebus a Philippo gestis contra Messenen iniquum iudicium eos tulisse dicit [1]), quasi iusta et decora haec fuissent facinora; nimis enim, ait Polybius, regem Philippum admirantur eiusque facta

---

fortasse tota huius pugnae descriptio, c. 63 sq., (Plut. c. 6). [Non addidi Pol. II. c. 55, (Megalopolis a Cleomene capta et civibus reddita sed ab iis non accepta); ap. Plut. c. 5. Philop. quidem primas partes tuetur; sed P. II. c. 55 eadem res narratur nulla Philopoemenis mentione facta; Plutarchus hausit e Polybii vit. Ph.; Polybius ipse in historiis rem contraxit]. *P. X. c.* 22 Philopoemenis iuventus; Achaeorum equitatum melius instruit (Plut. c. 1, c. 3 sq., c. 7). *XI.* 8—10 Achaeos oratione in curia habita (10 § 8) permovet ut armaturam curae habeant; mores Philop. (Plut. c. 9). *P. XI.* 11—18 pugna ad Mantineam a. 207 (Plut. c. 10). *P. XVI. c.* 36 *sq.* Achaeorum copiis clam convocatis Nabidem profligat a. 201. *P. XXI. c.* 15 *sq.* Spartani corona aurea eum donant a. 192 (Plut. c. 15). *P. XXIV.* 8^d. *sq.* Mors Philop. eiusque laudes, (Plut. c. 19 sq.). *P. XXV. c.* $9-9^b$ (cfr. P. XXIII. c. 10 sq.) adversus Romanos Achaeorum libertatem vindicare studet, dissentiente Aristaeno (Plut. c. 17; eius dictum Pl. c. 17 s. f. Pol. l. l. c. 9^b § 6). Haec omnia non ad verbum repetita, sed paullo copiosius exposita esse testatur Polybius X. c. 21 § 7: *δῆλον ἐν τῇ νῦν ἐξηγήσει πρέπον ἂν εἴη — τοῖς κατὰ τὴν ἀκμὴν αὐτοῦ κεφαλαιωδῶς ἐκεῖ δεδηλωμένοις ἔργοις προςθεῖναι καὶ* (leg. *τὰ*) *κατὰ μέρος.*

1) P. VII c. 10—14, VIII. c. 10 et c. 14.

laudant sive amore domini sive metu inducti [1]). Non unum dumtaxat auctorem secutum esse Polybium apparet ubi [2]) varios auctores allegat de iudicio Philoclis (a. 179), qui Demetrium Philippi filium interfecerat [3]). Ceterum eos auctores graecos fuisse ex ipsis rebus apparet [4]); res belli diligenter persecuti sunt, nam expeditionis quoque anno a Philippo susceptas ex iis cognovit Polybius, et uno loco scimus Polybium omisisse quod minoris momenti essent quae auctor eius accurate traderet; nempe V. 103 cum a. 216 ad Naupactum Philippus, Aetoli Naupacti in urbe sedentes de pace agerent, frequentes utrimque factos esse ait legationes *ὧν τὰς μὲν πλείους παρήσομεν διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν ἄξιον μνήμης;* sed Agelai praeclaram orationem totam reddidit. Ad hos auctores refero etiam orationes, ut libr. IX. (a. 211) c. 28—40 [5]), alia eiusmodi.

---

1) VIII. c. 10 § 3 sq.

2) Pol. ap. Liv. XL. c. 55.

3) Cfr. Pol. ap. L. XXXI. c. 38.

4) Sic IV. c. 16 de Demetrio Phario agens, narrat a. 220 Demetrium et Scerdilaedum fratrem mariti Teuta nonaginta navibus Lissum praeternavigasse contra foedus a Romanis cum Teuta factum, Scerdilaedum inde quadraginta navibus Naupactum cursu facto, bello sociali se immiscuisse; Demetrium ad Cycladas vastandas provectum esse. Sed III. c. 16 ubi ex annalium scriptore romano bellum exposuit anno 220 a L. Aemilio cum Illyriis gesto, causam belli fuisse scribit quod Demetrius 50 navibus Lissum praeternavigaverit, et multas Cycladas vastaverit; de Scerdilaedo nihil addit.

5) IX. c. 32 incipit oratio Lycisci Acarnanis; § 1 narratur eum antequam verba facere coepisset, paullum moratum silentium egisse cum homines etiam inter se colloquerentur de superiore oratione, deinde silentio facto initium fecisse loquendi. Hoc sane est testis oculati; Pol. ipse adfuisse non potest, neque longam orationem ex ore amici accipere potuit; igitur auctori Macedonico tribuenda videtur.

De *Perseo rege* quosdam laudavit Polybius *auctores*, *τινὲς τῶν συγγραφόντων περὶ τοῦ συστάντος Ῥωμαίοις πολέμου πρὸς Περσέα* [1]. Ab iis dissentit de causis belli Persici, sed id magis versatur in significatione verbi causa, quam in rebus. De huius belli auctoribus Romanis quos habuit vid. infr. De hoc bello scripsit Posidonius quidam, quo Plutarchus [2] auctore usus est, cuius traditionem, regi Perseo nimis faventem, Polybii et Scipionis Nasicae opponere solet [3]. Eius libros certe cognovit Polybius.

Auctores Rhodios multos legit Polybius, praecipuos nomine indicavit *Zenonem* et *Antisthenem*. Iis debuit Polybius cognitionem rerum ad Rhodum pertinentium, non solum initii belli II Macedonici a. 201 sq., pugnae navalis ad Chium gestae (XVI. c. 3—7) et ad Laden (quam accurate ab iis descriptam esse ait Polybius XVI. 15, nisi quod Philippo regi perperam victoriae gloriam detraxerint), sed etiam, ut videtur, temporis superioris; ex. gr. accuratum recensum donorum Rhodiis a regibus missorum cum terrae motu damnum cepissent (V. 88—90), et praeter alias res iniurias a Philippo Rhodiis datas a. 205 (XIII. c. 4—5).

Belli Syriaci cum Antiocho a. 190 gesti quidquid ad expeditiones maritimas et pugnas navales pertinet,

---

1) P. XXII. c. 22a.

2) Plut. Aem. P. c. 19: Ποσειδώνιός τις, ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις καὶ ταῖς πράξεσι γεγονέναι λέγων, ἱστορίαν δὲ γεγραφὼς περὶ Περσέως ἐν πλείοσι βιβλίοις; is Plutarcho iudice hoc consilio scripsit ut regem ignaviae crimine levaret (ibid.: ταῦτα μὲν οὖν ὁ Π. ὑπὲρ τοῦ Π. ἀπολογεῖται); cfr. ibid. c. 20 et 21. Eum esse Pos. Olbiopolitanum, de quo Suidas agit, statuerunt Bakius et Mueller fr. h. gr. III. p. 172.

3) De eius auctoritate vid. Nissen Krit. Unters. p. 298—305, et 267 sq.

e fontibus Rhodiis haustum est. Nam cum huius belli apud Polybium brevia tantum extent fragmenta (XXI. c. 5), narratio Livii, qui Latine eum expressit, hanc originem clare ostendit. Rhodiorum classis casus et res gestae diligenter narrantur, Romani eos comitantur et minores partes agunt; res etiam minutissimae ad Rhodios pertinentes diligenter recensentur (Liv. XXXII. c. 8—32; duo capita, 20 et 21, quibus res gestae Diophanis et Achaeorum ad Pergamum continentur, ad traditionem Achaicam recte referuntur) [1]).

Deinde res a Scipionibus in Graecia et Asia gestas annis 190—189 (P. ap. Liv. XXXVII. c. 6 et 7; c. 33—45; P. XXI. c. 2 sq.; c. 9—13) uni fonti adscribo. Animadvertendum est hunc *auctorem* diligenter cognovisse qnidquid *ad P. Scipionem* pertineret. Novit epistolam a Scipione ad Prusian datam, qua hunc e metu Romanorum eximere studuit (P. c. 9). Novit mandata Heraclidis legati Antiochi ad consulem non solum publica, sed etiam mandata privata et secreta ad P. Scipionem (P. c. 10 § 6; c. 11 § 9; c. 12). Novit etiam quid in colloquio arcano clam Heraclidi responderit Scipio (P. c. 12). Eum fontem *Romanum* esse credibile fit e Pol. c. 10, ubi causam cur P. Scipio nondum in Asiam transvectus esset hanc fuisse additur, quod salius esset; et de saliis plura exponuntur (Polyb. ibi ad libr. suum VI. lectorem relegat) qualia nunquam legimus ubi auctore graeco utitur Polybius.

Belli cum Gallograecis gesti (a. 189, P. a. L. XXXVIII. c. 12—27 (exepto c. 17) P. XXII. c. 14—19) egregius Polybio auctor fuit, quem ipse etiam sua doctrina (cfr. P. a. L. c. 16) et peritia militari exornavit. Fieri potest ut haec narratio nitatur traditione alicuius qui

[1]) Vid. Nissen Krit. Unters. p. 191—194.

in castris Romanis erat, sed nihil certi hac de re apparet,

Res Asiae et Aegypti a libro quinto quotannis addidit Polybius. Plena supersunt eo libro bella ab Antiocho Magno cum Molone et cum Ptolemaeo Philopatore gesta (222—217). Cum huius partis, tum proximarum quibus res Asiae et Aegypti narrantur, copiosos habuit fontes; quod praeter res belli diligenter expositas ostendunt hi loci: V. 63—66 praeparationes belli in Aegypto factae prolixe et accurate recensentur. VII. c. 15—19 (Antiochus Sardes capit) brevius absolvit narrationem obsidionis cuius auctor eius etiam minutissimos casus descripserat, 15 § 1 *περὶ ὧν γράφειν τὰ κατὰ μέρος οὐ μόνον ἀνωφελὲς ἀλλὰ καὶ μακρὸν ἂν εἴη τελέως* — alia eiusmodi. Novimus autem alterum bellum ab Antiocho Magno a. 201 cum rege Aegypti de Coelesyria gestum, et proelium ad Panium in eo commissum a Zenone Rhodio descriptum fuisse (P. XVI. c. 18). Polybius Zenonem in aliquot quidem rebus vituperat, sed tamen eum Polybio auctorem fuisse haud incredibile est. Sic etiam res Cretensium magna ex parte auctoribus Rhodiis deberi mihi videntur.

Auctorum Romanorum in rebus Graecis non multa vestigia extant. De scriptore rerum P. Scipionis modo egi. Plutarchus (Cato, Aem. Paullus) fontibus usus est romanis quos num consuluerit Polybius non constat, sed qui cum eius narratione comparari possint. In bello Syriaco et pugna ad Thermopylas a. 191 gesta Plutarcho auctor fuit Cato, qui res ab ipso in ea pugna gestas Originum libro sexto, quas senex scribere instituit (Nepos Cato 3) memoriae mandavit. Omnia quae Cato, cum rebus interesset, optime scire potuit, eodem modo a Livio, qui Polybii traditionem latine expressit, recte narrantur; quidquid discrepat, Catonis exaggerandi

studio [1]) facile tribui potest; itaque fidei Polybianae insigne extat testimonium [2]). Belli in Hispania a Catone a. 195 gesti dubitari potest an auctor Polybio fuerit Cato; Polybianum nihil superest nisi unum fragmentum (Plut. Cato M. c. 10), quod a Livii traditione alienum est [3]). Quae praeterea in bello Persico a Plutarcho allegatur epistola Scipionis Nasicae (Plut. Aem. c. 15 sq.; c. 18 sq.; c. 21) eam non secutus est Polybius, cuius traditio extat ap. Liv. XLIV. c. 23—46. De hoc bello (cuius pars prior extat P. a. L. XLII. c. 48—67, P. XXVII. c. 8 sq.) praeter scriptores Graecos de Perseo rege quorum supra mentionem feci, auctores Romanos Polybio fuisse apparet, ut animadvertit Nissen [4]), e copia nominum Romanorum; ea enim in hac parte Livii crebriora sunt quam in reliquis partibus Polybianis. Deinde P. a. L. c. 49 diligenter describitur qua maiestate Licinius consul (a. 171) ab urbe profectus sit; cuiusmodi res fere amittere solent Polybii auctores Graeci; Polybius rem sua meditatione etiam auxit. Denique ad auctores Romanos diserte etiam provocat Polybius (ap. Liv. c. 55) de periculo exercitus et consulis Romani prope Gomphos, quod magnum fuisse „ne Romani quidem abnuunt".

Ad scriptorum numerum de quibus egi, accedit innumera copia librorum, commentariorum, epistolarum publice editarum qualia bibliothecae eius aetatis continuisse credibile est, et quae neglegere non erat dili-

---

1) Liv. XXXIV. c. 15; cfr. Peter Hist Rom. Rell. p. CXXXXV.

2) Nissen Unters. p. 182.

3) De fontibus Livii (Catone) et Plutarchi in rebus Catonis vid. Nissen Unters. p. 155 sq., p. 292—298; Peter l. l.; H. Iordan, M. Catonis praeter libr. de r. r. quae extant, 1860.

4) P. 104.

gentiae Polybii. Exemplo e multis sit commentarius Asthymedis, quo is legationem suam anni 167 et orationes Romae habitas memoriae mandare et excusare studuit (P. XXX. c. 4 § 11). Polybius eum refutat suis argumentis et iudicio Graecorum qui tum Romae degebant (§ 10, § 13 sqq.).

Ingentis doctrinae haec omnia, multo magis etiam reliquiae librorum Polybii insigne testimonium praebent. Id inprimis eius operis pretium auget ·quod quantum fieri potuit ut utrisque partibus aeque aurem praeberet semper operam navavit.

His addo nomina scriptorum, quos de aliis rebus, inprimis de re geographica consuluit Polybius: Erathosthenes, Antiochus, Antiphanes Bergaeus, Euhemerus Messenius, Pytheas, Demosthenes, Dicaearchus; praeter eos Eudoxus, Strato physicus, Aeneas Tacticus.

IV. Acta publica Graeca.

Secundo hoc genere fontium, quo sane fides historiae omnium maxime nititur, magna diligentia usus est Polybius. Ac primum quidem *tabularium societatis Achaicae* ei patuit et pernotum fuit, quod quam amplum fuerit cognoscimus e narratione ipsius XXIII. c. 9. Quum enim a. 185 Lycortas in contione Achaeorum renuntiasset legationem et foedus cum Ptolemaeo rege renovatum, Aristaeno praetore legatos interrogante quidnam tandem foedus e magno veterum foederum numero renovavissent, omnes trepidare et simul loqui, nemo certi quid respondere, neque Philopoemenem qui praetor legatos miserat, neque legatos ipsos cognovisse apparebat multa foedera cum rege Aegypti olim facta extare, quae tum e tabulario promebantur; Aristaeno fama quaedam inde accrevit, quod is unus quid ageret

scire videretur. — Iam in primis V libris aliquot vestigia extant; II. c. 12, pacem a Romanis cum Teuta et Illyriis factam, huc refero; addit enim legatos Romanos paullo post a Fulvio ad Achaeos missos, cum alia in contione exposuisse de causis belli deque rebus in eo gestis, tum pacis conditiones recitavisse. Praeterea ex. gr. IV. c. 15 § 8 sqq. decreta ab Aetolis in contione facta per legatos cum Achaeis communicantur. E tabulario expromenda erant acta contionum, a scriba publico litteris mandata (*γραμματεὺς κοινὸς ἐκ περιόδου προχειριζόμενος* II. 43 § 1), eaque interdum adhibuit Polybius, IV. c. 4 § 1 et 15 § 1—4 *ἦν δὲ τὰ δόξαντα τοῖς Ἀχαιοῖς ταῦτα* [1]); IV. c. 25 traditur decretum a sociis cum Philippo factum, quo bellum Aetolis indiceretur; id etiam ad tabularium Achaicum pertinet, c. 26 § 4 enim traditur hoc decretum ab Achaeis in contione auditum et acceptum esse. Etiam V. 91 exscripsit *τὰ δόξαντα τοῖς Ἀχαιοῖς* in contione Aegii habita.

In his V libris Polybius res Graecas enarrans fere primum locum Achaeis concessit, magnam partem rerum quas descripsit ad Societatem Achaicam rettulit, ab ea saepe narratio proficiscitur. Quin etiam ad temporum rationem hoc pertinet. Achaei ad annum 216 praetorem creare solebant circa mediam aestatem *περὶ τὴν τῆς πλειάδος ἐπιτολήν*. Hunc morem a. 215 ita mutavisse videntur, ut ab eo anno auctumno ineunte (kal. Oct.) magistratum creaverint [2]). Polybius autem etiam annis

---

[1]) Contio anni 220, paullo ante sociorum conventum Corinthi, cuius mentio fit IV. 14 et 25; itaque c. 14 § 1 *μετά τινας ἡμέρας* est paucis diebus post pugnam ad Caphyas, non post conventum Corinthi habitum.

[2]) P. IV. c. 37 (Ἀχαιοὶ δὲ τότε). Ita sentiunt Schorn, Mommsen Philol. 24. 18, Nissen ei assensus est.

superioribus ita tempora dividere solet, ut electio praetoris Achaici initium ei sit novi anni [1]). Quod probabiliter huic causae attribuit Nissen [2]), non solum quod a puero hac ratione assuetus fuerit, sed etiam quod acta Achaeorum, quibus fontibus utebatur, secundum hanc temporis rationem deposita et in tabulario condita fuerint.

A libro sexto synchronistice historiam scribere instituit Polybius [3]). In rebus Achaicis magnum locum dedit descriptioni conciliorum Achaicorum, orationes in iis habitas saepe longas memoriae tradidit, et multo copiosius de iis egit quam de aliarum gentium rebus domesticis. Scimus autem Polybium nunquam orationes libere fictas ornamenti causa inseruisse; hanc rationem tenuit ut quae revera dicta essent quantum fieri posset

---

1) Quod apparet IV. 37 cllto 57; V. c. 1; c. 30 cllto 91; c. 106.

2) Die Oekonomie der G. d. P. Rhein. Mus. 1871 p. 241 sqq. (p. 250).

3) Librorum VII—XV nonnisi parva fragmenta graeca supersunt, pauca quaedam apud Livium latine expressa (libr. XXIV—XXX).

E Polybii libris XVI—XXX, praeter fragmenta graeca, magnae partes nobis servatae sunt a Livio libris XXXI—XLV. Quibus horum librorum locis Polybium latine expresserit Livius, certissime demonstravit Nissen Krit. Unters., quem hac in re iam supra secutus sum. E Livii libris XXIV—XXX hae partes nunc omnium consensu ad Polybium referuntur (*Nissen* p. 84 sq.; *F. Friedersdorff* Liv. et Pol. Scipionis rerum scriptores Diss. Gott. 1869; cfr. *Keller*, der Zweite Punische Krieg und seine Quellen. Marb. 1875, huiusque libri censor *Luterbacher*, Phil. Anz. zum Philol. v. Leutsch 1875 p. 56 sqq.), quibus me iudice quidem aliquot capita addenda sunt, sed quae nunc omitto: XXIV. 4—7, 21—39, 40; XXV. 7—11, 23—31; XXVI. 24—26; XXVII. 29—33; XXVIII. c. 5—8; XXIX. 12.

indagata exponeret [1]. — Concilia autem et res in iis actae describuntur his locis:

P. a. L. XXVII. c. 30. Concilium Achaeorum et Sociorum legationum Aegii habitum a. 208; de pace cum Aetolis actum est frustra.

P. a. L. XXVIII. c. 7. Conc. Ach. Aegii hab. a. 207 Nicia praetore; Oratio Philippi.

P. a. L. XXXI. c. 25 (P. XVI. c. 38) Conc. Ach. Argis hab. a. 199 Cycliada praetore. Philippus rex auxilium adversus Nabim offert, dum Achaei suis copiis Oreum Chalcidem Corinthum tueantur; sed spe cadit.

P. a. L. XXXII. c. 19—23 a. 198 Aristaeno pr. concilium Sicyone datur legatis Quinctii, Attali, Rhodiorum, Atheniensium. Oratio Aristaeni (c. 20 sq.); certamen inter magistratus ortum; Romanorum amici superant.

P. a. L. XXXV. c. 25, a. 192. Conc. Sicyone hab.; litterae Flaminini, Philop. praetor; eius oratio; bellum adversus Nabim decretum.

Ibid. c. 48—50 Conc. a. 192 Aegii hab. Legati Antiochi a Romanis abstrahere student Achaeos. Oratio Flaminini.

P. a. L. XXXVI. c. 31. Conc. Senatus Achaeorum a. 191 Diophane pr. hab. Oratio Flaminini de insula Zacyntho Achaeis non concedenda.

P. a. L. XXXVI. c. 35 med. Conc. Ach. a. 191 Diophane pr. Aegii hab. Adsunt Flamininus et Acilius cons. „Ibi de Eleis et de exsulibus Lacedaemoniorum restituendis actum est —".

P. XXI. c. 7 a. 190 Conc. Ach. — Auxilia Eumeni decreta, quibus praeficitur Diophanes.

P. XXIII. c. 7—9 a. 185. Conc. Ach. Megalopoli

---

[1] P. XXXVI. c. 1ª § 4.

hab. Aristaeno praetore; legatis Eumenis et Seleuci responsum datur. De foedere cum Ptolemaeo agitur.

P. XXIII. c. 10, a. 185 Aristaenus praetor concilium Senatus Argos convocat. Q. Caec. Metellus.

P. a. L. XXXIX. c. 35 a. 184 Lycorta pr. Areus et Alcibiades Spartani capitis damnati.

Ibid c. 36 sq. paucos post dies conc. Clitore legatis rom. datum. cfr. P. XXIII. c. 5, (epitomatoris: *οἱ ῥηθέντες ὑπ' ἀμφοτέρων λόγοι — καὶ τὰ δόξαντα τοῖς Ἀχαιοῖς. ταῦτα κεφαλαιωδῶς*) Oratio Lycortae.

P. XXV. c. 3 a. 181. Concilium; Messenii in societatem recepti cum immunitate trium annorum. Epistola senatus Romani.

P. XXV. c. 7 a. 180. Legatus Ptolemaei. Polybius Lycortas Aratus legati ad Ptolemaeum creantur; mors Ptolemaei nuntiatur.

C. 8 a. 180. Chaeronis Lacaedemonii causa dicta.

P. XXVI. c. 1. a. 179. Hyperbato pr. Conc. senatus. Verba facta de epistola senatus romani. Legati creantur Callicrates alii.

P. ap. Liv. XLI. c. 23 sq. Concilium senatus a. 174. Xenarcho pr. Epistola Persei, qua orabat ut finis Achaeorum Macedonibus patefierent. Orationes Callicratis et (c. 24) Archonis.

Ibid. c. 24. Conc. Megalopoli hab. a. 174. Legati Persei non admittuntur.

P. a. L. XLII. c. 6 in. Conventus Achaeorum a. 173. Marcellus verba facit.

P. XXVIII. c. 6 a. 169. Conc. Senatus; verba fiunt de auxilio Perseo aut Romanis ferendo. Ib c. 7. Conc. Ach.; legati Attali fratris Eumenis. Huic ut honores restituantur decretum.

P. XXIX. c. 8. Conc. Senatus Corinthi hab. a. 168. Ptolemaei fratres auxilia petunt contra Antiochum.

Orationes Callicratis Lycortae Polybii c. 9 § 6 sqq. Conc. paullo post Sicyone habitum. Variae sententiae. Epistola Q. Marcii. Auxilia recusantur, legati missi ad conciliandos reges.

P. XXXIII. c. 15, a. 153. Conventus Corinthi. Legati Cretensium et Rhodiorum. Callicrates oratione persuadet ut auxilia utrisque abnuant.

P. XXXVIII. c. 2, a 146. Conc. Aegii hab. S. Iulius Caesar verba ad Ach. facit.

Iamvero etiam in iis partibus quas rebus aliarum Graeciae gentium dedit, eundem fontem interdum agnoscimus; *relationes legatorum* Achaicorum in tabulario conditae de multis rebus sive domesticis sive externis certam cognitionem ei praebuerunt. Diserte aliquot locis huius fontis mentionem facit, sic XXIII. c. 7 § 5: *ἐχούσης δὲ τῆς συνόδου* (Megalopoli a. 185) *πραγματικῶς, πρῶτοι παρῆλθον οἱ περὶ Νικόδημον τὸν Ἠλεῖον. καὶ τούς τε ῥηθέντας ἐν τῇ συγκλήτῳ λόγους ὑφ᾽ αὑτῶν ὑπὲρ τῆς τῶν Λακεδαιμονίων πόλεως διῆλθον τοῖς Ἀχαιοῖς καὶ τὰς ἀποκρίσεις ἀνέγνωσαν, κ. τ. λ.*; et P. XXX. c. 4 § 10 [1]). — Praeterea aliquot

---

[1]) Ad relationes legatorum Achaicorum referri possunt res his locis narratae cum iis legatos Ach. adfuisse et magnam partem in iis tuitos esse addatur: P. XVI c. 35 relatio leg. Ach. Rhodum missorum a. 200 P. XVIII. c. 1—9 Aristaenus leg. ad Naupactum cum Flaminino a. 197. P. XVIII. c. 10, c. 11 § 3—14 legati Ach. Romam missi; oratio ad Senatum. P. XVIII. c. 42 leg. Ach. in Senatu Rom. a. 196. P. a. L. XXXIII. c. 29 fin. a. 196 leg. Ach. a. Flaminino impetrant ut Boeotios audiat. P. a. L. XXXIV. c. 57—59 a. 193 legationes ex universa Graecia et magna parte Asiae in Senatu. P. a. Liv. XXXV. c. 13 a. 193 leg. Ach. ad Nabim missi. P. a. L. XXXV. c. 25 a. 192 leg. Ach. redeunt Roma. P. a. L. XXXVI. c. 31 a. 191 leg. Ach. Elin et Messenen frustra missi. P. XXIII c. 1, c. 7 § 5 leg. Ach. Romam missi a. 187. Ibid. c. 1 Lycortas

Polybii narrationes totas tribuo relationibus magistratuum vel imperatorum Achaicorum; sic XVIII. c. 1—10 egregiam narrationem colloquii a T. Q. Flaminino cum rege Philippo a. 197 habiti certe accepit a viris Achaeis qui aderant, Aristaeno vel Xenophonte. Id etiam manifestum fit c. 8 § 8; secundo enim colloquii die Philippus se solum cum solo Tito disserere velle dixit, et utriusque comites tribus exceptis paullum secesserunt; quid autem, ait P., tunc secum confabulati sint difficile dictu est, tantum dicere possumus quid postea Titus de hoc colloquio cum comitibus suis communicaverit. Itaque patet, ab his Titi comitibus, inter quos Aristaenus et Xenophon, non ab auctoribus Macedonicis, sua didicisse Polybium. Sic Nicostratus praetor Ach. adfuit colloquio a. 197 a Flaminino et Attalo prope Mycenen cum Nabide habito; Nicostratus cum tyranno indutias facit (P. a. L. XXXII. c. 39 sq.). Praeter eos locos quibus res a viris Achaeis bello gestas traduntur (ut Liv. XXXIII. c. 14 Nicostrati a. 197; Liv. XXXVII.

---

in Aegyptum missus a. 187. Ibid. c. 11 sq. leg. Ach. Romam m. a. 184. P. XXIV. c. 1—4 legationes Achaica et aliarum gentium Romae; de Lacedaemone decernitur a. Senatu a. 183. P. XXIV. c. 10, a. 182 legatis Achaeis a Senatu acerbe respondetur; relatio Q. Marcii. P. XXV. c. 2, a. 181 leg. Ach. Romae. P. XXVIII. c. 16, a. 169 leg. Ach. ad Antiochum missi; c. 17 legatorum oratio, Antiochi responsum. P. XXXI. c. 6, c. 8, a. 164 leg. Ach. pro reis Achaicis Romae verba faciunt. P. XXXII. c. 7, a. 160, idem; c. 17 pro Deliis. P. XXXIII. c. 1 sq. pro reis, a. 155, et c. 13, a. 153 idem.

His locis non addidi P. XXVI. c. 1 § 8 — c. 3 legationem a Callicrate Romam factam, quia enim diserte ait Polybius, Callicratem falsa de hac relatione renuntiavisse, et populum Achaeorum ignarum fuisse eius quod in Senatu revera locutus esset (c. 3 § 14) Postea verum cognovisse videtur Polybius ab aliis legatis cum Callicrate missis, Lydiada et Arato iuniore.

c. 20 sq. Diophanis a. 190, alia), huc pertinent egregiae et copiosae narrationes conciliorum, ubi omnium Romanorum sociorum legati aderant: ad Tempe Thessalica a. 197 Flaminini et sociorum cum Philippo conventus, P. a. L. XXXIII. c. 12 sq., P. XVIII. c. 34—39; conventus Corinthi habitus a. 195, Flaminini et omnium soc. de bello adversus Nabin, P. a. L. XXXIV. c. 22—24; denique conventus Corinthi sociis a Flaminino indictus a. 194, P. a. L. XXXIV. c. 48—50. Quantopere a fontibus Achaicis in his rebus pendeat Polybius, hic novissimus locus testimonio sit. Nam cum Flamininus a sociis petivisset, ut cives Romanos qui apud eos in servitute essent conquisitos ad se mitterent, captivorum numerum totum non addidit Pol., sed tantum cognovit hanc rem centum talentis *Achaeis* stetisse, unde effecit mille ducentos captivos Achaiam habuisse (P. a. L. ibid. c. 50). Hanc pecuniam in eam rem impensam esse sane cognovit ex actis publicis Achaeorum.

De *Rhodiorum tabulario* agit Polybius XVI. c. 15. Cum enim auctores Rhodii Zeno et Antisthenes pugnae ad Laden gestae navalis singulis rebus vere expositis Rhodios victores fuisse falso contendissent, ad litteras provocat Polybius a Theophilisco duce statim post pugnam ad senatum et prytanes Rhodiorum missas, quae etiam tum cum scriberet in prytaneo servarentur. *Relationibus* legatorum Rhodiorum multis locis narratio Polybii continetur. P. XVI. c. 26 § 8—10 (is locus ab epitomatore contractus plenior extat ap. Liv. XXXI. c. 15 med.) narratur quemadmodum legati Rhodii, missi cum Attalo ut Athenienses ad bellum Philippo indicendum permoverent a. 200, Athenis accepti et auditi sint, quos honores populus Atheniensis Rhodiis decreverit. Sed non eam partem solam, etiam totam descriptionem contionis Atheniensium (c. 26), et quod

praecedit, Attalum ovantem intrasse urbem, eidem fonti adscribo. — P. XXII. c. 1—7 exponuntur quae a. 189 in senatu romano a legatis Graeciae et Asiae acta sint, Rhodiorum legati insignem partem inter eos tuentur [1]. C. 1—4 Oratio Eumenis; c. 5 Smyrnaei introducti, cum e legatis Rhodiorum qui tum vocati erant, unus quidam forte non adesset. Smyrnaei quid dixerint, quamquam in relatione qua utitur scriptum erat, non tanti fuisse censet Polybius ut memoriae mandaret, (c. 5 § 4). C. 5 § 5 — c. 6 Oratio Rhodiorum; c. 7 § 1—5 Antiochi legatorum; c. 7 § 7—9 decemviri creati; quid eis mandaverit senatus (epitomator Polybii h. l. et alia omisit, vid. infra, et nomina decemvirorum, vid. P. ap. L. XXXVIII. c. 55); c. 7 § 10—§ 15 Rhodii iterum ad Senatum verba faciunt, pro Solorum libertate; Antiochi legato adversus tendente a proposito sponte desistunt. — Ut hoc loco, sic ubicumque legati Rhodii adfuerunt, accurratam cognitionem rerum etiam minutiorum animadvertimus in narratione Polybiana, quae ostendit earum traditionum auctores rebus ipsos interfuisse, et ad singula diligenter attendisse. P. XXII. c. 10—13 narratur quemadmodum a consule Romano, deinde a Senatu pacem impetraverint Aetoli a. 189. C. 10 § 1: legati Rhodiorum et Atheniensium in castra M. Fulvii Nobilioris veniunt; § 9: ii in consulis Romani familiaritatem se insinuantes eum placare student; § 10: *quidam* legatis Aetolorum suadet ut C. Valerium Laevinum fratrem consulis adeant; § 11: conditiones pacis Aetolis probatae; c. 12 § 1: legati Aetolorum cum Rhodiis et Atheniensibus Romam vehuntur; c. 12: hi pro Aetolis ad Senatum verba faciunt; oratio Leonis

---

[1]) Hunc locum contineri relatione legatorum Rhodiorum vidit Nissen, Unters. p. 107 Anm.

Hicesiae filius Atheniensis (sic recte pro nomine corrupto edit P. a. L. XXXVIII. c. 10). — Deinde P. XXVI. c. 7 (a. 177 Lyciorum legati a Senatu auditi iisque responsum datum Rhodiis periniquum) de hoc responso satis acerbum iudicium fert Polybius, prorsus e mente Rhodiorum (§ 6 *οὐδ' ὅλως ἤρκεσε πολλοῖς τὸ γεγονός, κ. τ. λ.*) [1]).

De his locis cum satis constet, iam multi supersunt ex „historia politica sive pragmatica" Graeca librorum VII—XL, de quorum origine dubitare licet; sic aliquoties conciliorum Aetolae gentis mentionem fecit Polybius; sed quae de iis memoriae mandavit, ex actis publicis Aetolorum hausta esse nusquam apparet. Memorantur concilia annorum 211 (P: a. L. XXVI. c. 24); 208 (P. a. L. XXVII. c. 29 fin.); 199 (P. a. L. XXXI.

---

[1]) Praeterea ad Rhod. tabul. referendae videntur res his locis traditae: P. XXVI. c. 8 et c. 9 § 1, leg. Rhod. Romam missi a. 176. — P. a. L. XLII c. 14 med. a. 172, idem. — P. a L. XLII. c. 45 (P. XXVII. c. 3) a. 171 Rhodii cum legatis Romanis agunt. — P. a. L XLII. c. 46 (P. ibid. c. 4) a. 171 *epistola* Persei Rhodiis missa. P. XXVII. c. 6, a. 171 *epistola* Licinii Rhodiis data. P. XXVII. c. 11, a. 170 leg. Persei Rhodum missi. P. XXVIII. c. 12 leg. Rhod. in senatu a. 169. Ibid. c. 14 *epistola* Senatus a Rhodiis accepta a. 169, Rhod. leg. Romam mittuntur. P. XXVIII. c. 19 leg. Rhod. ad Antiochum Alexandriam missi, ut pacem Ptolemaeis parent a. 169; responsum regis. P. XXIX. c. 4 et c. 7 a. 168 Rhod. leg. in Senatu qui ad pacem cum Perseo suadeant, responsum Senatus. Ibid. c. 5 leg. Genthii Illyriae regis a Rhodiis benigne accepti a. 168. P. a. L. XLV. c. 10 leg. Romani (Popilius) Rhodum veniunt; amici Persei capite damnati (P. XXX. c. 4 et XXXI. c. 7 huc non pertinere videtur, vid. infr.) P. XXX. c. 5. a. 167 bella a Rhodiis gesta cum gentibus Asiae quae defecerant; P. XXXI. c. 16—17a, a. 163, P. XXXIII. c 14, a. 153 Astymedes in Senatu de bello Cretico agit. De nonnullis aliis locis vid. infr.

29—32); 196 (P. XVIII. c. 48); 193 (P. a. L. XXXV. c. 12); 192 (P. a. L. XXXV. c. 32 sq.); 192 (P. a. L. XXXV. c. 43—45); 191 (P. a. L. XXXVI. c. 29 in.); 189 (P. XXII. c. 11 § 7 sq.); 173 (P. a. L. XLI. c. 25); 169 (P. XXVIII. c. 4 Thermi). Ex his concilia annorum 208, 196, 193, 191, 189, 173 obiter tantum memoratae sunt, neque adduntur orationes, deliberationes in iis habitae. Eae diligenter tantum additae sunt in conciliis a. 192 (Antiochi regis oratio; contentio inter principes gentis) et a. 169 (Lycisci aliorumque orationes ad Popilium), et a. 199 et 192. In concilio anni 211 foedus pactum est cum Romanis; huius foederis conditiones cognovisse Polybium potius credo e tabulis Olympiae et in Capitolio collocatis, quarum eo loco mentionem fecit. Conciliis annorum 199 (Philippi legati ad bellum Aetolos trahere frustra student) et 192 (legati primum Romanorum, deinde ipse Quinctius Aetolos ad servandam pacem frustra hortantur). Adfuerunt legati Atheniensium, quorum iis locis fortasse relationes legimus.

Praeterea in Polybii fragmentis (in exc. *περὶ πρεσβειῶν*), et in traductione Livii magnam partem narrationis occupant frequentes legationes quas inter se gentes Graeciae Asiaeque, et Romam mittere fere quotannis solebant. Unde eas cognoverit indicari certe nequit; sed cum Graeciae situm pernotum habuerit, etiam Asiam minorem peragraverit, valde credibile est eum etiam aliarum gentium tabularia inspexisse; nam cum historiae bellorum Graecorum et Asiaticorum fere nitantur auctoribus Graecis, et raro tantum fontes Romanos adhibitos esse appareat, sic omnino historia politica, etiam Romana, fere tota continetur fontibus Graecis, actis publicis.

V. Foedera, inscriptiones, latina et graeca.

Pol. III. c. 22—26 exemplaria nobis tradidit foederum quibus Romani cum Carthaginiensibus iuncti fuerunt; quae quam accuratissime e prisco sermone latino graece se vertisse ait (c. 22 § 3). Ea foedera suo tempore etiam multis viris qui in rebus publicis versari solerent cum Carthaginiensibus tum Romanis ignota erant, quamquam servabantur integra in Aerario aedilium, in templo Iovis Capitolini. Itaque Polybius tantum non disertis vocibus dicit se ipsum illud Aerarium adiisse et foedera de tabulis aeneis (*χαλκώμασι*) in eo reconditis exscripsisse [1]). Nam si iam antea litteris mandata et pervulgata fuissent, multo magis mirum ei accidere debuisset ut adeo parum Romanis nota essent.

Duobus non adscriptum fuisse constat, quibus consulibus facta essent; secundi enim tempus definire nequivit Polybius. E verbis tertii foederis: „*συμμαχίαν* . . . *πρὸς Πύῤῥον ἔγγραπτον*", effecit, id factum esse *κατὰ τὴν Πύῤῥου διάβασιν*; e quo intellegimus eum accuratius annum ex ipso foedere constituere non potuisse. — Quodsi verum est, nemini opinor credibile videtur, ad primum foedus consules adscriptos fuisse. Accedit quod quamdiu respublica stetit in actis et legibus mensem et diem quo lata essent ex more additum fuisse constat,

---

[1]) Cfr. Mommsen Röm. Chron. p. 322: „Polybios sagt keines wegs, was man ihn oft sagen läszt, dass er die Urkunden selber aufgefunden und vor ihm keiner davon gebrauch gemacht habe. Vielleicht zog Cato sie ans Licht — —". Dubium esse mihi videtur annon auctores Romani iam tum ullam operam posuerint in scrutandis tabulariis, quibus iam multo ante historiae Graecorum, ut Thucydidis, fere totae continebantur. De Catone etiam magis dubito, vid. infr. Cfr. etiam K. W. Nitzsch, Röm. Annalistik p. 302 adn. 1.

sed consulum nomina semper desiderari, duobus foederibus exceptis quae sub finem reipublicae facta sunt [1]). Itaque statuere licet, ipsas foederum tabulas Polybio copiam non dedisse temporis certe constituendi. At de illo primo foedere diserte ait, id factum esse *κατὰ Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὡράτιον, τοὺς πρώτους κατασταθέντας ὑπάτους μετὰ τὴν τῶν βασιλέων κατάλυσιν.* Unde hunc annum assecutus est Polybius? Conicio, eum apud Fabium legisse, eo anno foedus cum legatis Carthaginiensibus pactum esse. Quid Fabius tradiderit, Mommsen efficere posse sibi visus est e Diodoro et Livio hac ratione: Diod. XVI. c. 69 (quem e Fabio hausisse statuit M.) ait anno 348 a. C. *Ῥωμαίοις μὲν πρὸς Καρχηδονίους πρῶτον συνθῆκαι ἐγένοντο.* Liv. VII. 27: „cum Carthaginiensibus legatis foedus ictum..." eundem annum tradit; Livius IX. c. 43 ad a. 306 foedus renovatum ait *tertio;* idem (peri. 13) anno 279 *quarto* foedus renovatum esse tradit. Ex his duas discernit Mommsen traditiones, quarum altera perhibeat tria foedera facta esse annis 509, 306, 279; altera totidem annis 348, 306, 279, et hanc Fabii esse contendit, Livium utraque turbata a. 348 primum, 306 et 279 tertium et quartum factum esse tradidisse statuit. Solum in hac ratione dubium esse puto, annon iure alteram traditionem Fabio adscribat Mommsen. Diodorus certe in quadam librorum parte Fabii annalibus usus est; sed multo magis constat Polybium ex iis multa hausisse. Res quae diiudicari nequeat controversa nobis relinquenda est.

Etsi egitur nescimus quo auctore Polybius tradat illud foedus anno 509 factum esse, sive a Fabio didicit

---

[1]) Apud Gruter. C. I. 2485, 5879. — In his secutus sum Mommsen. Röm Chron. p. 320 sq.

sive ab alio annalium scriptore, constat Polybium statuisse Brutum et Horatium primos consules fuisse post reges exactos. Etiam haec res suadet ut credamus eum secutum esse auctorem aliquem minime spernendum, contra vetustate magni faciendum. Templum Capitolinum a Marco Horatio consule dedicatum, ut priscis Romanis fuit initium a quo annorum numeros computarent [1]) sic nobis quasi terminus quidam extat ultra quem in annorum et consulum ordine constituendo progredi nobis non licet, nisi enigmata solvere studemus, in regum annis certo constituendis frustra incumbentes. Antiquissimi consulum fasti, in aede capitolina servati, ad hunc annum ascendisse videntur et si quid in hac parte historiae Romanae fide dignum est, id quod antecedit hanc dedicationem certe omni fide chronologica caret et ingenio recentiorum reddendum est. Non casu factum est ut cum illo Horatio iungeretur Brutus, quem fama ferebat urbem a regum dominatu liberavisse; Brutum eodem anno rempublicam constituisse quo Horatius Capitolium dedicavisset hanc unam ob causam inventum et memoriae traditum est, ut videtur, quia ille annus Horatii, primus qui posterioribus notus erat, etiam primus reipublicae annus fuisse credebatur. Sed iis, qui addebant Horatium consulem templum dedicavisse eodem die quo magistratum iniisset, aliquod tempus explendum restabat inter diem regifugii et dedicationis, itaque alios consules praecessisse Horatium statuebant. Sed ea paullo recentiora sunt, et antiquissimam traditionem Polybius nobis servavit.

---

[1]) Plin. N. H. XXXIII. 1. 19: „Flavius vovit aedem Concordiae ... inciditque in tabella aerea factam eam aedem CCIII. annis post Capitolinam dedicatam esse." Cfr. Mommsen Röm. Chron. p. 199 sqq.

Ut ad illa foedera revertar, eorum auctoritas ne hac quidem ratione impugnanda esse mihi videtur, ut conicias Polybium ea e libris alius cuiusdam auctoris minoris fidei exscripsisse. Non solum verba Polybii satis clare contrarium indicant, sed etiam omnes recentiores auctores latini quos novimus, in exponendis causis belli Punici primi errant ideo quod non satis perspexerunt quae foedera intercessissent Romanis et Poenis ante bellum. Catonem certe haec res fefellit, et ideo parum credibile videtur eum haec foedera in lucem edidisse et ab eo Polybium ea cognovisse. Ait enim: „duo et vicesimo anno post dimissum bellum, quod quattuor et viginti annos fuit, Carthaginienses sextum de foedere decessere" [1]). Cato si foedera ad lucem ipse traxisset hoc dicere non potuisset, nam ea foedera nunquam a Carthaginiensibus violata sunt; contra aeque ac Philinus et Livius alia foedera extitisse censuit, vel potius „de foedere decedere" omnino idem ei est quod pacem rumpere, bellum excitare. De ipso Catone cogitasse Polybium credo cum scriberet **τοῦτο** (ea foedera extare) **οἱ πρεσβύτατοι καὶ μάλιστα δοκοῦντες περὶ τὰ κοινὰ σπουδάζειν ἠγνόουν.**

Haec foedera a Polybio ipso e templo Iovis Capitolini exprompta esse, ideo etiam credibilius fit, quod e tribus foederibus quae ad verbum repetivit (foedus Carth. cum Philippo a. 215 P. VII. c, 9; Rom. cum Aetolis a. 189 P. XXII. 13; cum Antiocho a. 188 P. XXII. c. 23) duo (ann. 189 et 188) ex eodem tabulario oriunda esse videntur. De foedere cum Antiocho id apparet collatis Livio XXXVIII. c. 38, XXXVII. c. 55 et Appiano Syr. c. 39, quorum uterque Polybii traditionem suis

[1]) Non. p. 100 Mercier. Locus correctus a Peter. Hist. Rom. Rell. p. 79 e Gell. XI. 10 M. V. 4. 5.

verbis expressit [1]). Appianus enim tradit, foedus in Capitolio in tabulis aeneis esse inscriptum (*ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐς δέλτους χαλκᾶς ἀναθέντες, οὗ καὶ τὰς ἄλλας συνθήκας ἀνατιθέασι, ἔπεμπον ἀντίγραφα Μαλλίῳ*). Haec traditio pertinet ad Polybium XXII. c. 7, sed verba ab epitomatore Polybii omissa sunt; Livius id caput Polybii reddens etiam vestigium eorum servavit (XXXVII. c. 55), cum dicit foedus in Capitolio ictum esse [2]). Ea verba igitur Polybius inseruerat in relationem Rhodiorum quam eo loco sequebatur (vid. supr.), et paullo post (c. 23) foederis leges e tabula exscripsit.

Reliquas foederum leges fere suis verbis tradere solet Polybius. Ex iis ad tabularium Romanum refero:

Reliqua foedera cum Poenis facta, a. 241. P. III. 27 § 1—6 (cfr, idem e Fabio, ut videtur, non plane simile I. 62 § 8 sq.); a. 238 de Sardinia III. 27. 8 (cfr. e Fabio I. 88); a. 227 de Hispania III. 27 § 9 sq. (cfr. II. 13 § 7).

Foedus Romanorum cum Aetolis a. 211, P. a. L. XXVI. c. 24 („haec convenerunt, conscriptaque bienno post Olympiae ab Aetolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita"), cfr. P. XI. c. 5 § 5. — Foedus cum Poenis post bellum Hannibalicum a. 202, P. XV. c. 18; Livius XXX. c. 37 Polybium latine me iudice expressit.

Ad tabularium Rhodiorum: Foedera a Byzantinis facta cum Prusia rege et cum Rhodiis, a. 219 (P. IV. c. 52; additur nomen magistratus Byzantini).

---

1) Nissen Unters. p. 319.

2) Epitomatorem Polybii talia omittere solere, etiam ostendit Nissen (p. 319) e P. III. c. 26 § 1 „Τηρουμένων τῶν συνθηκῶν (ἔτι καὶ νῦν ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν Καπετώλιον ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμιείῳ), τίς οὐκ κ. τ. λ., ubi verba quae uncis inclusi omissa sunt ab auctore excerptorum περὶ πρεσβειῶν.

Decretum decemvirorum qui in Asiam missi sunt a. 188 post foedus cum Antiocho Romae ictum, P. XXII. c, 24. Nitor his argumentis: Primum enim his decemviris, cum Ephesi degerent, aderant Rhodiorum legati qui de eorum decretis in patriam rettulerunt (P. XXIII. c. 3 § 7). Deinde undecim annis post de his decretis contentio orta est inter Rhodios et Senatum (P. XXVI. c. 7 a. 177). Tum enim Senatus, Lyciorum querelis et odio Rhodiorum motus, revolvit commentarios decemvirorum (*τοὺς ὑπομνηματισμοὺς*), et statuit se comperisse, Lyciam non in ditionem (*οὐκ ἐν δωρεᾷ*), sed ad amicitiam et societatem Rhodiis datam esse (*τὸ δὲ πλεῖον ὡς φίλοι καὶ σύμμαχοι*). Hanc contentionem anni 177 Polybius, ut supra dixi, descripsit e mente Rhodiorum, et vituperat senatum. Sed quid ipsa decreta anni 188? Si e fonte Romano ea cognovisset Polybius, necesse erat ea convenire cum opinione senatus. Sed de amicitia et foedere nihil in iis legimus (XXII. c. 24 § 8: „*διδόντες Λυκίαν καὶ Καρίας τὰ μέχρι Μαιάνδρου κ. τ. λ.*); et paullo post Polybius scripsit legatos Rhodiorum a. 188 in patriam rettulisse *Λυκίαν καὶ Καρίας τὰ μέχρι τοῦ Μαιάνδρου δεδόσθαι Ῥοδίοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἐν δωρεᾷ* (P. XXIII. c. 3 § 7). Itaque tota decreta fonti Rhodii debentur.

Ad tabularium Achaicum: foedus cum Teuta factum a. 227, P. II. 12.

Supersunt haec, quae omnia uno excepto fontibus non Romanis deberi statuo: P. VII. c, 9 foedus Philippi cum Carth. a. 215. Fortasse ad tabularium regium Macedonicum pertinet; non obstat quod narratur post pugnam ad Cynoscephalas delevisse Philippus acta regia Larissae servata (XVIII. c. 33, a. 197) ea enim erant epistolae et commentarii (*βασιλικὰ γράμματα*, § 3 *ὑπομνήματα*). Quid de hoc foedere confinxerint Romani docet Livius XXIII. c. 33.

P. XVIII. c. 44 foedus Rom. cum Philippo a. 196 (τὸ τῆς συγκλήτου δόγμα a decemviris allatum et cum Graecis sociis communicatum (c. 45 § 1)).

P. XXI. c. 14 Pacis conditiones Antiocho a Scipionibus impositae a. 190 antequam de pace Romae conventum erat. Has conditiones, et orationes tum in castris habitas (pleniores extant ap. Liv. XXXVII. c. 45) pertinere opinor ad auctorem illum Romanum de rebus Scipionis (supra p. 203).

P. XXVI. c. 6 § 3—14 foedus Eumenis Prusiae Ariarathis cum Pharnace Mithridate a. 179 factum.

P. XXXIII. c. 11 foedus Attali cum Prusia a. 154.

Ad inscriptiones pertinent tabula Lacinii (III. c. 23) et tabula pontificis, de quibus supra egi.

VI. Acta latina.

Quoties adhuc egimus de partibus Polybianis, ad res proprie Romanas post bellum Hannibalicum pertinentibus, eas fontibus vel auctoribus Graecis adscribere potuimus. Superest ut ostendamus reliquas quae ad idem temporis spatium pertineant etiam plerumque Graecis fontibus deberi; acta publica latina (annales maximos) non consuluit Polybius; annalium auctores latinos nonnisi raro adhibuit.

Inter annos 249 — ante 114 Romae mos stabat, ut singulae res, prout earum cognitio Romam pervenerat, per singulos dies a pontifice inscriberentur in tabulam gypso oblitam, ut populo copia daretur cum fide quadam et quantum fieri posset citissime cognoscendi quid actum esset quidve republica sive bello sive pace fieret. — Res hac ratione conscriptas annalium Romanorum scriptores collegerunt et undecunque expletas et

ornatas memoriae mandaverunt; ei autem fuerunt auctores Livio ubi is Polybium non sequitur.

In iis partibus annalisticis videmus plerumque res ita esse expositas, ut auctor diligenter persequatur quidquid Romae acciderit (magistratus creati, provinciae distributae, prodigia, profectus consulum et praetorum in provincias, denique nova comitia et ludi), ut res in Senatu actae magnum in iis locum obtineant, quin etiam vulgo res in provinciis gestae illis subiungantur, sive (quod plerumque fit) tanquam relationes in Senatu factas eas proponant, sive certe eo ordine et loco eas tradant quo Romam acceptae sint (vid. locos collectos a Nissen, Unters. p. 88 sq.). Polybius autem eam rationem non novit; is contra res etiam quae Romae gestae sunt fere e legatorum Graecorum relationibus exponit. Qui de fontibus Livii egerunt v.v. dd., ostenderunt quam manca illa annalium Romanorum cognitio fuerit; ratio temporum saepe turbata; res belli interdum falso auctae vel nimis brevi absolutae; situs regionum Graeciae, Asiae, Hispaniae prorsus ignotus; nulla diligentia, exigua veritatis cura. Iidem ostenderunt quam saepe Livius secum pugnet, cum alibi annales, alibi Polybium sequatur, qui fere semper inter se dissentiant; denique annalium scriptores etiam in iis rebus, in quibus aliquanto melius instructi sint, in rebus domesticis romanis, saepe ideo fide parum dignos esse, quod fontes earum rerum, annales maximi, non sine certo quodam proposito, a veritate alieno, confecti fuerint; ea tradebant annalium maximorum scriptores, quae a populo Romano et plebe credi vellent [1]). Itaque e

---

1) Nissen Unters. p. 45: „die Uebertreibungen der annalisten sind bekannt; aber noch mehr: wenn man, wie das im Folgenden geschehen soll die annalistische Geschichte des 6ten Jahr-

studio Livii clarissime apparet quantum annalibus praestet Polybius, cui quoties dissentiunt fere semper omnis fides habenda est [1]); etiam apparet annales maximos etiamsi cognoverit Polybius, ab eo non esse exscriptos. Non est huius loci, de omnibus rebus agere quae recte e Polybio, perperam ex annalibus cognovit Livius. Sed tria exempla insignia h. l. repetam.

Liv. XXXI. c. 1—14 in. annales sequitur, c. 14—18 Polybium secutus causas et initia belli Macedonici secundi exposuit. Haec pars convenit cum fragmentis

---

hunderts der Stadt einer strengen kritischen Prüfung unterzieht, so ergiebt sich dasz sie in Betreff der auswärtigen Verhältnisse — und diese nahmen natürlicher Weise den grössten Raum der Chronik ein — kaum zum zehnten oder zwanzigsten Theil auf Wahrheit Anspruch machen kann, kurz, ganz unbrauchbar ist. Hinsichtlich der inneren Geschichte Roms stand es besser: man begnügte sich, freilich nachlässig genug, die Notizen des Pont. Max. abzuschreiben." Deinde p. 91: „die Sprache der officiellen war eben im alten Rom grade so weit von der des gesunden Menschenverstandes verschieden wie heut zu Tage. Dasz sie der officiellen Stadtchronik entlehnt und von dieser in die Quellen des Livius übergegangen ist, wird schwerlich abgewiesen werden können." (Ex gr. XXXI. 9 Ptolemaeus rex Aegypti Senatum certiorem facit iniuriarum Atheniensibus a Philippo datarum, et se paratum esse dicit ad socios defendendos, si placet Romanis hoc munus ei committere; gratiae regi a Senatu actae, et responsum tutari socios populo Romano in animo esse: si qua re ad id bellum opus sit, indicaturos regi, et q. s. Ita Aegyptii prohibere conati sunt ne Romani in res Graecas se insinuarent, et paullo post huius temeritatis poenas dederunt. Sed tum specie omnia amicitiae et gratiae plena erant).

[1]) Idem p. 99 „Für die Kritik unserer Annalen sind wir auf die Darstellung des P. angewiesen, der wenn nicht triftige Gründe dagegen vorliegen, unbedingten Glauben ihnen gegenüber verdient."

Polybii librorum XV. c. 20—XVI. c. 24. Ex ea discimus, Philippum cum Antiocho Syriae rege foedus fecisse ad Aegypti agrum copiis occupandum et tanquam praedam belli dividendum. His inceptis Rhodii et Attalus restiterunt. Philippus dum suae partis capiendae cupidus Asiam minorem invadebat, Abydum iam oppugnabat, cum Atheniensibus sociis Romanis per casum quemdam in bellum incidit; et „ne Romano quidem quod imminebat bello territus", copias contra Athenas misit. Iam paullo ante legati Romam ad Philippum ad Abydum venerunt, quibus querentibus quod Attalo, Rhodiis, Abydo arma intulisset, superbe responderat rex. Tum consul Romanus auctumno ferme exacto in Macedoniam transmisit et circa Apolloniam hibernavit; ita bellum incepit.

In annalibus mentio nulla fit Antiochi, Rhodiorum, Attali, Abydi. Ex iis discimus non veram belli causam, Romanos Philippum imperandi cupiditati suae indulgere pati non potuisse, sed audimus praetextus quibus populus adductus est ad bellum decernendum. Recitantur in senatu litterae M. Aurelii legati et M. Val. Laevini propraetoris (c. 3 et 5), hoc proposito scriptae, et „opportune irritandis ad bellum animis" adlatae (§ 5), quibus scriptum erat Philippum tantam molem belli parare, ut idem ausurus esse videretur quod antea Pyrrhus. Hoc autem prorsus falsum erat. Constat e Polybio Philippum tum ne cogitasse quidem de classi in Italiam transmittenda, sed intentum fuisse in occupandis opibus Aegypti et Asiae; sed eo diligentius senatus et consul hoc Pyrrhi nomine et exemplo usi sunt, quod populum diuturnis bellis fessum, et qui cum rogatum esset vellentne bellum Macedonicum ob iniurias illatas sociis Atheniensibus rogationem primis comitiis antiquavisset, ea formidine ad bellum incitare

posse sperarent; post longam orationem consulis de Pyrrho et Hannibale (c. 7) haec spes eos non fefellit, et bellum decretum est. — Etiam aliud crimen iam longe ante contra Philippum paraverat senatus, et in annalibus crebro res repetitur, quae nunc etiam inter causas belli a senatu mota est, nempe quod Poenos auxiliis iuvisset (c. 11 in.). Hac de re pauca vere, multa vel falsa vel dubia a Livio tradi opinor. Satis constat, me iudice Sopatrum quendam Macedonem in Africa in Poenorum castris fuisse et a Romanis captum esse. Hunc et fortasse alios Macedones qui cum eo fuissent ut sibi restituerent Romani, per legatos postulavit Philippus rex (Liv. XXX. c. 42). Ea causa belli esse non potuit. Non secus bello Pun. I. Achaeus quidam Alexo Lilybaei in exercitu Poenorum militavit. Sed ea re senatus sedulo usus est contra Philippum. Sic in traditione Romana de pugna ad Zamam tota legio Macedonum affuisse statuitur (c. 33), quod quam parum credibile sit supra ostendimus. Sic iam antea in actis senatus anni 203 editum erat, legatos urbium Graecarum sociarum *nuntiavisse*, ibi *rumore ferri* Philippum legionem et pecuniam ad Poenos misisse; tum senatum legatos ad regem mittendos censuisse qui haec adversus foedus facta videri nuntiarent (ibid. c. 26). Vides quam incerta tota res sit; denique si verum esset legionem Macedonicam et pecuniam misisse Philippum regem, et talem legationem Romanam ad eum pervenisse, vix fieri potuisset ut post finem belli Philippus per legatos postulasset ut Macedones captivi sibi restituerentur, quod tamen factum esse constat (c. 42). Auxilia copiarum et pecuniae a Philippo ad Poenos missa esse non magis vero simile mihi videtur quam illa consilia Philippo paullo post a senatu obtrusa nempe quod ut alter Pyrrhus Italiam invasurus esset. Sed apparet

senatum e firmo et diu ante praeparato consilio res gessisse, cum iam anno 203 causas quaesitas esse videamus quibus postea occasione data bellum Macedonicum excitaretur.

Alterum exemplum indicavit Nissen p. 91. Cum enim de Prusia rege Romae degente duas traditiones composuerit Livius (XLV. c. 44), alteram annalium alteram Polybii (P. XXX. c. 16), hae quidem primo obtutu prorsus inter se contrariae esse videntur, revera consentiunt et se invicem explent. Annalas enim ea tradunt quae a senatu publice edita erant; quanto comitatu acceptus, quantis honoribus ornatus, quam benigno responso dimissus fuerit rex; Polybius ea prodidit quae ex actis senatus disci non possent, adulationem viri eiusque animum servilem et corruptum.

Duo etiam exempla addam quibus confirmetur sententia, Polybium non consuluisse acta senatus. Eumenes enim rex a. 173 (P. a. L. XLII. c. 11, alinea 13—c. 14) commentarium ferens secum quod de apparatibus belli a Perse factis omnia inquirens fecerat, Romam venerat (ibid. c. 6 in.). Hunc commentarium a. 172 in senatu recitavit. Addit P. (ibid. c. 14 in.) „in praesentia nihil praeterquam fuisse in curia regem scire quisquam potuit; eo silentio clausa curia erat". Indicat sane, nullum e legatis Graecis qui tum Romae erant (et aderant Rhodii) de Eumenis oratione aliquid domum renuntiare potuisse; itaque clare ostendit unde talia cognoscere solitus fuerit. Deinceps addit „bello denique perfecto quaeque dicta ab rege quaeque responsa essent emanavere."

P. XXX. c. 3. Attalus frater Eumenis Romae cum senatu egit a. 167. Cum voluisset senatus eum a se auxilium petere ut fratrem e regno expelleret, ideoque eum benigne accepisset, Attalus opinione meliorem se

praebuit, et insidiis fratri faciendis relictis, Roma decessit. Senatus ira succensus beneficia ei data adimit, et P. Licinium legatum post eum in Asiam mittit, „cui quae mandata dederit, ait Polybius, haud facile dictu est, sed conici potest ex iis quae postea acciderint". Acta ipsa senatus si cognosset Polybius, haec nescire non potuisset.

In ea parte singulorum librorum quam rebus Romanis dedit Polybius et actis senatus, semper commoda et casus gentium externarum, quid a senatu petiverint, quid eis responsum sit, primum locum obtinent, de rebus proprie Romanis nonnisi obiter interdum mentio fit; et sicubi ea fit, ratio plane diversa est a scriptoribus romanis. Sic. XXX. c. 13 L. Anicius victor Genthii post triumphum a. 167 ludos Romae instituit ridiculos propter agrestes et incultos mores. Res prorsus e mente elegantis cuiusdam viri Graeci propositae ostendunt nihil Romanum h. l. legi; eas adscribo eidem fonti cui XXX. c. 4, traditioni Graecorum qui tum Romae degebant. Sed etiam iis paucis locis, quibus res proprie Romanas attigit, nonnunquam credibiliora narrat quam annales Liviani. Sic P. XVIII. c. 42 § 3 Cl. Marcellus consulatum iniit a. 196; postquam Philippi legati in senatu auditi sunt de pace, consul in comitiis prohibere studet ne populus pacem confirmet, sed frustra; senatus statim decemviros mittit. Contra annales ap. Liv. XXXIII. c. 24 ita tradunt: exitu ferme anni 197 litterae Quinctii de pugna, brevi post legati eiusdem et Philippi veniunt. De pace audiuntur, decem legati a senatu mittuntur. Postea (c. 25) consules magistratum ineunt, et cum de provinciis ageretur et Italiam utrique provinciam senatus decerneret, ut Macedoniam cum Italia sortirentur tendebant. Fortasse consul a senatu obtinuisset ut pacem tolleret, nisi tribuni plebis eum

coegissent ut ad plebem ferret vellentne cum rege Philippo pacem esse. Tum populus in pace perseverari iussit. Cum Nissenio (p. 143 sq.) illis Polybianis maiorem fidem habeo.

Verum multarum rerum Romanarum sive nulla sive exigua mentio fit, quarum praecipuae sunt contentiones saepe in senatu factae de consulum vel ducum triumphis (ut Manlii a. 187 Liv. 38 c. 44—50 in., Fulvii a. 187 Liv. 39 c. 4 sq. aliorum), vel de aliis rebus ut de libertate Ambraciensium (Liv. 38 c. 43 sq., cfr. 39 c. 4 sq., quo loco etiam res gestae Fulvii perperam exponuntur, cfr. Nissen p. 211); causam P. Scipionis Africani copiose ex Antiate tradidit Livius (XXXVIII. c. 50—60), Polybius brevi tantum attigit cum eius mortem narraret (P. XXIV. c. 9). Quae de lege Oppia (Liv. XXXIV. c. 1—8), de bacchanalibus (id. XXXIX. c. 8—19) aliis eiusmodi ad populum vel in senatu acta sint, annon exposuerit Polybius magnopere dubitandum est. Supplicationes (excepto P. XXI. c. 1), provinciarum sortitiones, triumphos fere omittit. Earum rerum Livius etiam alios fontes fere conquisivit. Polybius XXX. c. 4 brevissime absolvit contentionem Romae ortam a. 167 de Rhodiis bello indicendo. Catonis operae, qui copiosa oratione plurimum eos adiuvit, ne verbo quidem mentionem facit (Liv. 45 c. 25).

CAPUT IV.

QUEM LOCUM INTER DISCIDIA PARTIUM OCCUPAVERIT POLYBIUS, QUAM AEQUE DE IIS IUDICET.

De loco quo inter partes contendentes steterit Polybius, de iudicio quod tulerit expositiuris iam statim nobis monendum est, de nullius fere rerum gestarum veteris scriptoris fide in tam diversas partes a recentioribus esse disputatum, nullum tantis laudibus ab aliis efferri, ab aliis simul tam acriter reprehendi; ne Livium quidem, quem integrum et sincerum auctorem plerique haud immerito praedicant, quamquam eius fontes saepe pessimos fuisse constat, et nonnunquam plus quam par erat patriae amori concessit. — Nullius enim quam Polybii historiae ad inter se contrarias sententias excitandas magis aptae sunt; ac primum quidem propter temporis quod in iis describitur conditionem. Conatus Arati et Cleomenis, Achaeorum societas et Aetolorum, imperium Romanorum et Graeciae libertas, ex his rebus unaquaeque fere inter recentiores suum habuit fautorem vel unum vel plures; ex iis autem altera pars Polybio facile consensit, altera eius iudicium impugnavit [1]).

[1]) Non solum iudicii aequitatem, sed etiam fidem historicam Polybii impugnaverunt Reiske (praef. ad. Polybiana p. 167, quem laudat de Vries p. 9: „Stultitiae ergo sit ab eo verum expectare, quem beneficiorum cum acceptorum recordatio, tum sperandorum expectatio, tum cura salutis suae, tum denique

Deinde quod etiam magis valet, garrulitas quaedam ei nocuit, nempe ideo Polybius dissensionem quasi ultro elicit, quod multis rebus narratis prolixe apponit quid de iis iudicandum esse sibi videatur, quod non solum rerum cognitionem, sed etiam certum quoddam de rebus iudicium ferendum lectori praescribere et probare solet [1]). Omnino eis longis sermonibus quibus fidem suam apud lectorem confirmare studuit Polybius, interdum ita a proposito aberravit, ut fuerint qui in contrarium consilium iis uterentur, et e sermone aliquo minus caute vel efficaciter scripto, non ex ipsis rebus ad artis criticae normam exactis, eius fidem suspectam facere conarentur [2]), quae ratio minus probanda esse videtur.

---

tot acres appositae vigiliae, saepe auribus aliquid dare, saepe gratiae, saepe animo memori, saepe dissimulationi atque taciturnitati cogeret", et p. 766 „quae in Romanis notare simulat, sunt ea primum pauca numero, tum ad fucum lectoribus faciendum, caeterarumque laudum praedicationi, quum modum excedere videatur, fidem tanto facilius faciendam comparata"; Lucas (Ueber Polybius' Darstellung des Aetolischen Bundes. Königsberg 1827). Brandstäter (die Geschichten des Aetolischen Landes Volkes und Bundes. Berol. 1844).

[1]) Cfr. etiam spec. litt. v. d. M. de Vries, de Hist. Pol. Pragmat. Leid. 1843, qui cum nihil de Polybii fide vel iudicii aequitate addere statuisset, eiusmodi excursus pragmaticos, quorum rationem priore parte e Polybio exposuerat, parum lectoribus utiles et ab arte historici alienos esse ostendit p. 116—147.

[2]) Sic cum describeret remp. Rom. quod brevi facere debuit, res praecipuas tantum tangens, praecavere studuit a crimine neglegentiae et (VI. c. 11[a]) prolixe disserit de rebus aliis quas consulto (κατὰ κρίσιν) et bona fide, aliis quas neglegentia (κατ' ἄγνοιαν) omittit scriptor, (cfr. XV. c. 36 § 9 sq.; XXIX. c. 6[a]; III c. 57 § 7 sq.); quae ne ab iniquo iudice permutentur orat. Ex his, aiunt, clarum est Polybium sibi copiam servavisse con-

De omnibus rebus narratis verum iudicium ferre studenti, necesse fuit Polybio legem aliquam vel normam constituere iudicandi. Eam autem elegit quae specie certe optima est, disciplinam aequi et honesti, legem virtutis. Quod arte cohaerere clarum est cum ratione

---

sulto mentiendi. Nam de iis rebus loqui omisit quas consulto quidem, sed malo dolo et fraude praetermiserit scriptor. — At cur de iis locutus esset? Num is qui a crimine quodam se defendere omittit, quod tali crimine se accusatum iri nequaquam autumet, ideo illo crimine statim convictum esse credemus? Sane Polybius a iudicibus suis meliora expectavit quam eiusmodi iudices ab ipso. Quamquam non video quemquam demonstravisse Polybium in describenda rep. Rom. ullam rem fraude omisisse. Denique haec scripsit contra Romanum quemdam lectorem, qui sicubi rem aliquam minutam a Polybio omissam esse vidisset, statim exclamaturus erat: graecus ille vir suas res scribat, cum nostras non satis perspexerit. Id cavere voluit Polybius. Non ita hebeti fuit ingenio ut non videret, aliquem dicere posse se consulto rem aliquam texisse. Sed ita secum cogitavit, si quis tale quid mihi imputat, huic non persuadebo etsi multis verbis negavero. Revera ita potius, mihi quidem, suspicionem movisset. — Si e verbis Polybii de eius fide iudicandum erit, satis magna locorum copia colligi potest ubi apparet, veritatem et plenam narrationem ei necessariam visam esse. — Contra P. de la Roche (Charakt. des Pol. p. 39) „man erwäge die consequenzen dieser Maxime, die gegen die historische Theorie entweder oder Praxis des Polybius sehr ungünstige Muthmassungen erwecken müssen. — Ibid. „als ob, wenn oft wesentliche Dinge verschwiegen würden, das Uebrige dann noch eigentlich wahr sei!" Welche Sophistik! — Ibid.: „es ist hier wohl zu beachten, dasz er die andre Art des Uebergehens einer Notiz, nämlich absichtliches Verschweigen aus irgend einem unredlichen Grund nicht genannt oder vielmehr geschickt hinter das vieldeutige κατὰ κρίσιν versteckt hat, denn entgangen konnte sie ihm nicht sein. Der Grund hievon ist nicht schwer einzusehen." Cfr. Lucas l. l. p. 26, Brandstater l. l.

Polybii pragmatica, qua non solum rerum cognitionem, sed utilitatem, historiae finem esse censet [1]). Veritatis enim, inquit, indiget historia ut possit esse *usui* lectoribus, ea detracta utilitas perditur [2]). Disciplinam autem honesti (quod quidem ipsum ex utilitate oriundum esse cum Epicuro statuit) ideo integram servare et coli, etiam rerum gestarum summam iudicem esse voluit, ne utilitas delaberetur in astutiam aut libidinem. Eam normam in rebus gestis memoriae tradendis pessimam, quin etiam specie quidem certam et stabilem, sed revera unam omnium maxime invalidam et fere nullam esse ob has causas censeo. Primum enim „in historia tanta est rerum multitudo et varietas, ut si quis auctor quavis scriptionis suae parte, quid expetendum quid fugiendum sit lectores edocere voluerit, is potius Orationes Sacras habiturus, quam res gestas narraturus videatur" [3]). Itaque etiam Polybius feliciter a consilio ita defecit, ut permultas res egregie enarraverit nullo iudicio apposito, quamquam hoc sibi proposuerat, ut quidquid bonum esset laudaret [4]). Deinde haec ratio semper fluctuat; ne unius quidem aetatis homines omnes in ea concinunt; alius bellum gravissimam pestem, regem qui bellum inceperit virum scelestum esse censet; alius patriae amorem nullis laudibus dignum esse contendit. Ex. gr. varia de Alexandro Magno a recentioribus lata iudicia satis ostendunt, talem normam in rerum gestarum memoria prorsus deficere. Etiam cognitio rerum ex ea detrimentum facile capit; nam voluntates et

---

1) XII. c. 25g § 2 et III. c. 31 § 2—4.
2) II. 56 § 11.
3) Borger de Hist. Pragm. p. 74, quem laudat de Vries.
4) Cfr. II. 61 § 6; XVI. 40 § 2 et 7, et passim.

indolem viri alicuius illustris vix intellegere poterit lector si (ut de Philippo rege scribens saepe fecit Polybius) ad singulas res gestas tantum adnotaverit has fuisse bonas, illas nefarias; ita enim perperam distinguitur inter res gestas unius hominis quas inter se cohaerere, ex uno consilio eademque mente profluxisse ostendendum erat scriptori. Etiamsi de singulis rebus gestis ex lege virtutis recte iudicare poterit scriptor, tamen cum hominum tum gentium imaginem adeo distortam ab eo accipiet lector, ut vel stomachus vel risus ei moveatur qui rerum memoriam cognoscere, non ad vitam sanctam dirigi velit. — Denique, cum illa norma recte et constanter adhiberi nullo modo possit, non parvum aequitati minatur detrimentum; nam qui sine ea rerum scriptor diligenter fortasse cauturus fuisset ne narrationem suam studio aliquo vel ira infici pateretur, hac ratione adhibita facile inducitur ut a cautione illa ac diligentia longe discedens, suo favori vel odio, ob alias causas susceptis, magnum locum concedat, cum fere inscius rationes iudicandi permutaverit. Quae ipsi placent, rerum probe et caste factarum, quae displicent, scelerum forma ultro induuntur, et eo incautius sibi indulget auctor, quo magis ut rigidus morum magister ad virtutis praecepta omnia perpendisse sibi visus est. Cavendum est ab eiusmodi rerum gestarum iudice; atqui etiam Polybius in quadam historiarum parte illam virtutis normam cum alia invitus permutavit.

De vero boni rerum scriptoris munere, qui omnibus rebus humanis quantum fieri possit perspectis, in eas quas tradere velit res gestas, quos descripturus sit mores, quas explicandas habeat voluntates et indoles hominum ita penetrare debeat ut appareat se non quidem omnia probare sed intellegere omnia, ut rebus minutis diligenter indagatis et suo loco positis narratio

illustretur, denique ut pretium quod cum aliis comparatae cuique rei assignandum sit, vinculum quo cum aliis coniungatur ex ipsa narratione perspici possit, ita ut res pro se ipsae loqui magis quam a scriptore iudicari videantur, quo nescio an ex antiquis Thycidydes optime functus sit, h. l. pluribus non agimus; Polybius eam rationem non tenuit, non ideo solum quod rerum quas describit ipse pars magna fuerit, sed praesertim quod ab eius ingenio ad docendum propenso ea ratio alienissima erat. Sed hoc monendum mihi videtur, veteribus rerum scriptoribus fere legitimum et concessum fuisse ut suam patriam favore quodam amplecterentur [1]), quod continebatur argumenti electione, pleniore quadam rerum cognitione, ubertate et diligentia narrationis. Polybius quidem rerum graecarum talibus fontibus, nempe actis publicis aliis eiusmodi usus est quales in reliquarum gentium rebus tradendis aut nulli aut pauci ei suppeditabant, itaque res Poenorum, Hispanorum, Asiae, etiam Romanorum, quas magnam partem ex aliis auctoribus repetivit, multo minus plene ex eo cognoscimus quam Graecorum. Sed rarissime apparet Graeciae gloriam et dignitatem tantae etiam curae ei fuisse quantae fide historica intacta facile esse potuit. Lycurgi quidem leges ut unius hominis opus legibus Romanorum praestare contendit, ductus amore rerum Peloponnesi, sed alibi contrarium fecit Polybius cuius gravissimum exemplam addam. Nam cum apud omnes fere gentes memoria servetur virorum aliquot virtute insignium, quorum famam tanquam publicum decus posteri conservare et colere studeant, aeque ferri non potest scriptor qui patriae suae hanc gloriam, si iure comparata est, detrahere conetur. Itaque iure

---

[1]) P. XVI. 14 § 6.

reprehendemus Polybium ob ea quae, Aemilii castitatem exponens, de Aristide et Epaminonda addit, viro Graeco indigna; nempe Aemilii exemplo eversam esse famam horum virorum qua ob integritatem apud Graecos fruerentur [1]. — Omnino amor patriae parum valuit in Polybii iudicandi ratione.

Polybii fuit vir magnae pietatis. Pietas autem hac in re cernitur ut cum reverentia quadam colamus recordationes iuventutis, animi affectus olim concitatos, imaginem parentum et rerum ab his gestarum. Pietate efficitur ut quae iuvenes iudicio nondum conformato a parentibus vel maioribus concupisci vidimus et accepimus, postea quoque aetate adultis nobis quasi sancta et etiam per se expetenda videantur, quae iis odiosa fuerint, tanquam magnum per se malum a nobis respuantur. Polybius ea decepta est, et tam prorsus quidem, ut ipse non animadverterit se contraria miscuisse. Nam cum vitae curriculum eo eum duxerit, ut patria quasi mutata socius Romanorum [2], quin etiam Romanus ipse sit factus, cum librorum conscribendorum argumentum sibi sumpserit primum praestantiam reipublicae Romanae qua intra 53 annos tam longe processerit, alterum naturam imperii Romani qua dignum sit omnium, inprimis Graecorum obsequentia [3], tamen in enarranda priore parte rerum Graecarum, ex angustis et exilibus studiis Arati se eximere non potuit, et eo inconstantiae pervenit, ut altero loco Peloponnesum in ditionem Romanam subigi se malle dixerit quam in Macedonicam [4], altero Aratum defendat qui imperium

---

[1]) XXXII. 8 § 5 sqq.

[2]) Σύμμαχος Ῥωμαίων in inscriptione statuae apud Paus.

[3]) III. 4 § 1, § 6 sq.

[4]) P. XXXVII. 8c § 1 sq. Pol. ap. Liv. XLII. c. 30 med.

Macedonicum anteposuit Peloponnesi libertati Cleomene duce. Res Achaicas describens Polybius ut semper fecit aequum iudicium ferre sincere conatus est; qui *voluntatem* vere iudicandi ei defuisse contendunt, scilicet obliti se ipsos omnia argumenta ad iudicium diversum conformandum ex ipso Polybio petere et petere posse, temere minuunt integritatem huius optimi viri, quae ut dicunt quaque fere pagina elucet; sed tamen cum etiam res Peloponnesi ad legem virtutis exigere et iudicare vellet, eum fefellit, quod in eius legis locum substituit studia partium non sua (ipse enim tum cum scriberet Romam Graeciae, etiam Achaiae iam praetulerat), sed Arati, amicorum natu maiorum, patris denique. Cum Romae degeret, imago Philopoemenis cui ipse puer supremos tulit honores, virorum Megalopolitanorum quibus odium Spartae Aratum etiam cariorem fecerat, Arati quem amici patris tanquam heroem suum colebant, etiam vivida ei obversabatur, et cum res priores Peloponnesi memoriae mandaturus esset, his recordationibus iuventutis ita se dedit, ut quamquam ipse partes elegerat quas neque Arato, neque Philopoemeni et Lycortae si tum fuissent ullo modo probare potuisset, novae sententiae plane immemor, causam Arati ut sanctam causam tuitus sit. Hinc orta sunt iudicia illa acerba de Arati adversariis, honesta de eius sociis, lata, utraque ridicula.

Res Aetolorum fuit qui ita scribere conatus sit ut huic genti lectoris quemdam favorem conciliaret [1]), sed

---

[1]) F. A. Brandstäter, die Gesch. des Aet. Landes, Volkes und Bundes. Berlin 1844. In historia Aetolica aliquantum praestat Droyseni Hellenismi pars II, quam, etsi 1843 edita est, non cognovit Br. His praesertim argumentis eos defendit: non omnia quae commiserint Aetoli toti Societati culpae du-

credo frustra. Societas Aetolica, non secus atque Athenienses tempore *συμμαχίας*, oppidis et locis imperabant aliquot quae vi et armis ad *συμπολιτείαν* adducta [1]) tributum solvere debebant [2]), et rerum communi administratione exclusa, aut sua instituta servabant aut praesidii Aetolici duci parebant [3]); aliis quae ad *συμπολιτείαν* Aetolorum ultro accesserant, ut a praedationibus integra se servarent

---

cenda esse (p. 272, 277, 279 passim); feritatem gentis e natura sedis, e bellis perpetuis, e moribus nullis sapientis viri institutis emollitis ortam talem fuisse, ut aliter agere non posset (p. 275 sq.) (at quaeso id nos inducere potest ut facinora probemus?); alii, ut Philippus et ipsi Achaei etiam admiserunt res reprehensione dignas (p. 253 adn. 38, passim).

[1]) Cfr. P. IV. 25 § 6 (anno 219); ibid. § 7.

[2]) Droysen II. p. 404 hos locos laudat: Aelian. ap. Suid v. *ἀνήνασθαι*; Locris Opuntiis tributum (*δασμός*) imperatur (*προςτάσσεται*) ab Aetolis, ex Antigoni regis arbitrio; cfr. Paus. I. 25. 1 et X. 21. 1.

[3]) P. XV. c. 23 § 9 de Cianis, a. 201: *στρατηγοῦ παρ' Αἰτωλῶν ἐν αὐτῇ διατρίβοντος καὶ προεστῶτος τῶν κοινῶν.* Itaque quod XVIII. 3. 12 de iisdem scripsit P. *μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους*, non ita explicandum est ut credas voce *συμπολιτευομένας* designari eas urbes rerum Aetolicarum administrationis participes fuisse, sed non magis ita ut eas omnes suas leges, senatum, comitia servavisse statuas; id nisi fallor fugit Droysenium, p. 405 adn. 104. Equidem verba Pol. II. c. 46 § 2 de Orchomeno Tegea Mantinea (anno 228) *οὐ μόνον συμμαχίδας, ἀλλὰ καὶ συμπολιτευομένας τότε πόλεις* ita explico, ut voce *συμμαχίᾳ* idem significetur quod *φιλίᾳ* (sic cum Elide iis est *φιλία* IV. 9. 10, *εὔνοια καὶ συμμαχία* IV. 5. 4; cum Messeniis *φιλία καὶ συμμαχία* IV. 6 § 11), voce *συμπολιτεία* saepe indicetur urbes sua instituta servavisse, saepe etiam usurpetur de oppidis vi captis quibus libertate ademta suum imperium imposuissent Aetoli. Nam in urbem *συμπολιτευομένην* nonnunquam si opus erat praesidium cum duce mittebatur, Dorimachus P. II. 3, 5 sq. in urbem Phigalen *κατὰ κοινὸν* mittitur, et apud Cianos dux Aetolorum summae rerum praeest.

vel praedam a societate repetere possent [1]). Aetolorum iuventus, ad rem bellicam egregie apta et natura propensa [2]), duobus modis genio suo indulgere solebat. Saepe enim ducem aliquem idoneum nacti apud gentes externas stipendia faciebant [3]); etiam usuvenit ut publico consilio auxilia Aetolica aliquo mitterentur [4]); saepe agmina Aetolorum ad praedas faciendas domo egressa alienos agros rapiebant vel mari lucra quaerebant; eiusmodi expeditiones aut privato consilio aut publico susceptae esse videntur. Ea pars iuventutis Aetolicae quae armis assueta a tranquillis pacis artibus abhorrebat, piratae Aetolici qui saepe vel soli [5]) vel cum praedonibus Illyriis [6]) vel Cephalleniis [7]) coniuncti Messeniae, Elidis, Epiri littora vexabant, duces qui sive foederis praetores erant sive minus, tum copiis privatim conductis tum exercitu ipso Aetolico convocato (*πανδημεί*) in alienos agros incurrere avebant, hi omnes pacis vix patientes belli quam maxime cupidi erant [8]), et si ut bellum indiceretur a Societate impetrare non poterant, nullo poenae metu impediebantur quin data occasione artes suas bellicas etiam pace exercerent. Ab iis autem qui tales iniurias perpetraverant,

---

[1]) Droysen, p. 404 adn. 100 laudat foedus quo Ceus in societatem accepta est, Corp. Inscr. n⁰. 2350—2351, et foedus cum Teo factum n⁰. 3046.

[2]) P. IV. 8, 10; XVIII. 22, 5; ὁρμή IV. 3, 5 τόλμα IV. 18 § 1; V. 81, 1 passim.

[3]) Ex. gr. P. a. L. XXXI. 43 (a. 199); P. XVIII. 54 § 8—12 (a. 201).

[4]) Ex. gr. P. IV. 53, 8.

[5]) Ex. gr. P. IV. c. 6 § 1 sq.; P. IV. c. 3 § 8 sqq.; XVIII. 50, 10.

[6]) Ex. gr. P. IV. 16, 7; IV. 25, 4; IX. 37 § 8.

[7]) Quorum saepe navigiis utebantur IV. 6 § 2, et § 8; V. 3 § 7.

[8]) Cfr. P. IV. 3, 1; V. 107 § 6 sq., passim.

ullas rationes vel poenas unquam repetitas esse non solum nusquam apparet, sed etiam societas Aetolorum saepe criminis consortem se fecit cum eiusmodi duces summo magistratu ornaret vel praedones societatis auctoritate se tueri pateretur [1]). Eodem modo illud λάφυρον

[1]) Exempla: a. 244 pace in Boeotiam incursionem faciunt Lattabus et Nicostratus, P. IV. 3, 5; 25, 2; IX. 34, 11; — a. 242 (alii 240) pace omnibus copiis (πρανδημεί) in agrum Lacedaemonium irrumpunt Charixenes et Timaeus, „ut exules reducant" (P. IV. 34, 9; IX. 34, 9) et 50.000 perioecos captivos secum agunt (nisi fallit numerus Plutarchum, Cleom. 18), a. 221, cum Messene ad Achaeorum societatem inclinaret, Dorimachus Phigaleam (in urbem Aetolicam) mittitur ad res observandas. Is autem primum piratis Aetolicis in Messenia praedas agendi veniam dat et praedae partem ab iis accipit (P. IV. 3, 8 sqq.). A Messeniis per legationes increpitus, Messenen venit; ibi, cum latrociniis non absisteretur, ab ephoris in ius vocatus, nomine Societatis Aetolicae (τοῦ κοινοῦ) eos terret, ne ab ipso res repetant (IV. 4. 4). In patriam reversus, cum Societati persuadere se posse spes non sit ut bellum Messenae indicat, cum Scopa privatum consilium init expeditionis in agrum Messenium faciendae (IV. 5. 10). Eorum piratae navem Macedonicam capiunt (IV. 6. 1), littus Epiri populantur, Thyrium Acarnaniae urbem aggrediuntur; denique Clarium, agri Megalopolitani castellum, occupant, quod a Timoxeno Achaeorum praetore et Taurione Macedonum praefecto iis adimitur (VI. 6. 1—6). Deinde Dorimachus et Scopas toto exercitu (πανδημεί) per agrum Achaicum, quem populantur, Messenen invadunt. Denique cum appropinquarent copiae Achaicae et Macedonicae, Messene se abituros esse promittunt (IV. 9. 1—10), sed tamen Aratum, qui stulte multas copias domum dimiserat, aggrediuntur, et ad Caphyas prorsus profligant (IV. c. 11. 1—9). Quid autem concilium Aetolicum? Aetoli (a. 220) decernunt cum omnibus sibi pacem esse (IV. 15. 8); sed Achaeis se bellum illaturos esse si Messenen ad Societatem Macedonicam (de qua cfr. IV. 9. 4) trahere conentur. Deinde quamquam Messene a Macedonia in Societatem recipitur (IV

ἀπὸ λαφύρου ἄγειν, quod Aetolis sanctissimum institutum esse ridens affirmavit Philippus rex [1]), omnibus Aetolis erat probatum et vetustate moris quasi consecratum; nempe lege erat sancitum ut praedonibus Aetolicis sicubi bellum gereretur, etiamsi id ad Aetoliam nequaquam pertineret, ab utraque parte praedas agere liceret, neque tum a Societate praedandi veniam petere iis opus esset. Itaque haud iniuria conqueri solebant Graeci, id cognitu difficillimum esse utrum cum Aetolis pax sibi esset, an bellum, et iura pacis male ab iis servari [2]). Specimen sane offerunt antiqui Graecorum roboris, sed quo ita usi sint, ut rerum ab iis gestarum memoria cum favore vel delectatione nunc repeti vix possit, non magis quam Illyriorum, vel (quos cum Aetolis comparavit Brandstäter p. 273) Normannorum, quae etiam bellis et praedationibus contineantur.

Sed Arato Aetolorum gens odio fuit; quod partim invidiae, partim irae ob auxilium contra Cleomenem a. 223 denegatum susceptae (nam si id impetrasset, Macedones invocaret necesse non fuisset), partim feroci formidini huius molesti, temerarii, potentioris consiliorum adversarii adscribo. Hinc Polybio Aetolorum nomine contineri videtur quidcunque pessimi exempli sit, non solum Arati libris contra eos fidem habere non dubitat [3]),

---

16. 1), Aristo praetor Aetolorum pacem cum Achaeis se servaturum esse ait et domi manet (IV. 17. 1), sed Dorimachus, Scopas, Agelaus, cum Serdilaedo Illyrio Achaiam invadunt, Cynaetham capiunt, Clitorem frustra aggrediuntur. Paullo post Macedones et socii Aetolis bellum indicunt. — Aetoli autem paullo post Scopan praetorem creaverunt, postea Dorimachum (IV. 67. 1).

[1]) P. XVIII. c. 4 § 8; c. 5 § 1.

[2]) Cfr. P. IV. 67 § 4; IV. 16 § 4; XVIII. c. 5 § 3.

[3]) Quae de Aetolis male tradidit Polybius, magna ex parte

sed etiam hoc suo virtutis amori se debere censet ut iterum atque iterum ostendat quantopere a disciplina honesti deflexerint [1]); quod etiamsi nulla res fingitur, ab historiae usu et dignitate alienissimum est.

Etiam de Philippi ingenio, quod nunc adumbrare nobis non licet, ex eadem ratione minus recte iudicavit Polybius. Hoc cuique apparet, Polybium eum ab eo tempore fere in omne scelus ruisse censere, quo Arati senili et molesta tutela deserta, huic minister consiliorum esse non amplius voluit. Sed etiam in Philippi rebus agnoscimus voluntatem vere iudicandi.

Omnino Arati causam sanctam habuit. Quidquid ei resistit est malitiae et audaciae [2]). Ea est summa salus oppidis Graeciae, ut ab Arato capiantur, propter benignitatem ipsius et Achaeorum [3]). Qui ab eius Societate urbem aliquam retinere conatur, indignum committit facinus [4]); quae urbs ab ea se revelli non patitur,

---

ad Arati commentarios refero (vid. supr. p. 154 sq.), sed non omnia. Nam IV. 3 narrat eos Phigaleam copias cum duce misisse, ad res Peloponnesi observandas, quam insolentiam vix ferri posse censet. E proximis apparet, Aetolos cavere voluisse ne Messenae patrocinio privarentur, quam rationem agnoscere debuerat Polybius. Sed huic res indigna videtur quod ita Aratus impediebatur quin Messenen ad salutem, nempe ad Societatem Achaicam, clam adduceret.

[1]) Cfr. praeter l.l. II. 43. 9; 46. 3 (πλεονεξία); IV. 3. 1; 16 § 2; 29. 5 sq. (τὸ τῶν ῥαδιουργῶν καὶ κλεπτῶν φῦλον); 67. 4; 62; XVIII. 34. 7; XXX. 14 § 1 sq.; P. ap. Liv. XXVII. 30 in. (ferocioris quam pro ingeniis Graecorum gentis); passim. In orationibus ex more iudicatur ex mente oratoris, et quidem contra Aetolos dicunt Lyciscus (IX. 38. 6), Aristaenus (P. a. L. XXXIV. c. 24). Flamininus (ibid. c. 49); pro iis Hannibal (P. ap. Liv. XXXVI. c. 7).

[2]) ἀδικία καὶ τόλμα, cfr. II. 43. 10; 45. 1.

[3]) φιλανθρωπία cfr. II. 57. 8; 38. 8.

[4]) IV. 3 et alibi.

summis laudibus non apud Achaeos solum, sed apud omnes digna est [1]). Eam salutem quam ab Arato aliquot oppida sponte acceperint, multa inducta fide et ratione, nonnulla etiam vi et armis coacta [2]), his rebus contineri dicit: sincero studio et amore libertatis verae et popularis [3]), humanitate et eodem iure omnibus sociis tributo [4]). Multi conati sunt Peloponnesum in unam rempublicam cogere, uni Arato inceptum bene successit, illi enim non communis sed suae libertatis causa rem susceperant [5]). Contra Arati et Achaeorum, ait, hoc fuit propositum ut suam libertatem aliis offerrent, et eos sedulo impugnaverunt qui vel suis viribus vel regis alicuius opibus patriam suam subactam tenerent, qua in re etiam aliorum auxilio usi sunt [6]).

Inter eas urbes quas ita ad „libertatem" reduxerunt fuit Sparta, quam a Cleomene tyranno liberavisse Achaeos et Macedones affirmat Polybius [7]). At etiam Cleomenes salutem et libertatem quandam Spartae et Peloponneso dare studuit, etiam nisi fallor alii. Lydiades Megalopolitanus, nobili ingenio iuvenis, patriae tyrannidem affectavit, deceptus, ut ait Plutarchus, sermonibus quibusdam simulatis et inanibus qui tum de tyranni officio ferebantur (Pl. Arat. c. 30); mox aemulatione et metu Arati inductus, patriae quoque felicitatis

---

1) II. 61 § 8.
2) II. 38 § 7.
3) II. 38 § 6.
4) ἰσότης καὶ φιλανθρωπία ibid. § 8.
5) II. 37 § 9.
6) II. 42 § 3. Iis verbis τὰ δὲ καὶ τῶν συμμάχων manifeste significat praeter Ptolemaeum et Romanos Antigonum regem; frustra ita conatur foedus ab Arato cum Antigono factum cum illo proposito conciliare.
7) IV. 16 5; IV. 22. 4.

augendae cupidus, societati Achaicae se addixit sed ad mortem perpetua contentione cum Arato conflixit. Ex his satis clarum esse credo eam speciem qua deceptus tyrannidem occupaverit Lydiades, fuisse studium salutis civium; ab iis quae primum ut tyrannus se perfecturum esse speraverat, mox cum Achaicae societatis praetor esset denuo suscepit, eum prohibuit Aratus. Et fortasse inter multos etiam alii fuerunt tyranni qui non sola avaritia et imperandi cupidine movebantur. Sed his omissis, Cleomenis causam cum Arati comparabimus.

„Democratiam veram" Aratus in Peloponneso confirmavit. Qualem Polybius veram esse censeat, apparebit variis locis inspectis. Potentiam multitudinis vehementer metuit, et statum reipublicae Atheniensis post Periclem pessimum fuisse censet [1]). Populi levitatem maris imagine illustrare solet [2]). Verae democratiae praecipua commoda sunt Polybio auctore *παρρησία* et *ἰσηγορία* (sive *ἰσολογία*) [3]), quibus vocibus minime significatur, voluntatem maioris populi partis, ut apud Athenienses, fuisse summum arbitrum in republica gerenda, in faciendis bello ac pace; (veluti apud Rho-

---

[1]) P. VI. 44, de quo loco vid. supr. p. 20 sq. P. a. L. XXXI. c. 44: nec umquam ibi desunt linguae promptae ad plebem concitandam; quod genus cum in omnibus liberis civitatibus tum praecipue Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur.

[2]) P. XXII. 12 § 9 (Liv. 38 c. 10 latine vertens addit „vulgata similitudine") in oratione Leonis Atheniensis pro Aetolis; idem in oratione Scipionis ad Sucronem P. XI. 29 § 9 (Liv. XXVIII. c. 27 sq. in reliquis fontem communem secutus, aliquot momenta orationis a Polybio sumpsit; inter quae hoc, c. 27 med.).

[3]) P. II. 42 § 3; XXVII. 4 § 7 de Rhodiis; P. XXXI. 7. 16 (de eisdem); quam II. 38 § 8 memorat *ἰσότητα*, ea significat non unam urbem in Societate principatum exercuisse.

dios quibus eam *ἰσηγορίαν* fuisse non semel statuit Polybius, praefecti classis id unius erat ius, ut alias civitates in societatem accipere posset sine rogatione ulla perlata [1])). Optimatibus quidem et eorum principatui minime favet Polybius [2]); sed cum etiam duo ordines superessent, alter hominum pauperum et plebeius (*ἐργαστηριακοὶ καὶ βάναυσοι ἄνθρωποι* P. XXXVIII. 4. 5) alter medius et qui bonorum possessione, etiam eruditione quadam vulgo frueretur (*κτηματικοί* V. 93. 6; *εὔποροι* XL. 1 § 6) illum vehementer spernit, hunc solum aestimatione dignum censet [3]); quod inprimis apparet ubi utriusque ordinis studia et voluntates in bello Persico exponit [4]); plebs, ut solet, deterioris est partis, nempe Macedoniae; medium genus principum, optimum et prudentissimum, libertatem et leges tuetur;

---

1) P. ap. Liv. XLV. c. 25 = P. XXX. 5 § 5.

2) Id iam in rebus Carthaginis apparet; cfr. rationem qua de optimatibus Punicis loquatur Pol. (ap. Liv. XXXIII 46—48) cum Livii XXI. c. 10 sqq.; XXX. 42.

3) Hunc Livius, latine vertens, „principes" dicere solet, illum „plebem." Polybius fortasse eos dixit τοὺς ἀξιολόγους, vel tale quid. Livius sententiam Polybii, etiam si a sua discrepat, non mutatam reddere solet (cfr. Nissen, Unters. p. 71—73), sed singulas voces saepe minus recte vertit (sic. XXXII. 32 principes, P. XVIII. 1 γραμματεῖς; ibid. princeps Aetolorum, P. στρατηγός, Nissen p. 22), explicationum et distinctionum ambages omittit, et aliquoties res similes novo inficit colore.

4) P. ap. Liv. XLII. c. 30: „plebs, ubique omnis ferme ut solet deterioris, erat ad regem Macedonesque inclinata: principum diversa cerneres studia. Pars ita in Romanos effusi erant... Pars altera regiae adulationis erat..., Perseus magis aurae popularis erat. Tertia pars, optima eadem et prudentissima...", seq. idem fere quod P. XXVII. c. 8a § 1 sq.

P. a. Liv. XLV. c. 31: tria genera principum in civitatibus erant, — seq. idem fere quod priore loco.

reliqua duo genera principum aut Macedonum aut Romanorum partibus favent. Inter optimates huius generis fuerunt Charops et Callicrates.

Iamvero clarum est, ei qui ita de plebe deque republica Atheniensi iudicet, „democratiam veram" eam esse qua medius civium ordo maxima auctoritate fruatur, plebs obsequio contineatur. Talis autem erat democratia Arati. Ipse quidem Aratus ad eum medium statum non pertinuit [1]), sed suis amicitiis regiis et suo consilio parum civili usus est ad eius ordinis auctoritatem firmandam, simul cum optimatibus leniter agens [2]); itaque a civibus oppidorum Achaiae quos obsequio [3]) et comitate sibi conciliaverat, incredibili favore remuneratus est [4]). Idem adeo plebem metuit, ut permultae res ab eo gestae ex hoc metu tantum explicari possint. Non solum tyrannos, quorum potentiam plerumque plebe niti constat, per totam vitam capitali odio insectatus est, sed etiam gravia pericula societati contrahere maluit, quam plebis auxilio ambiguo uti. Sic anno 241 cum per Megarin Peloponnesum invasuri essent Aetoli, Agidis regis qui eo ipso tempore novas tabulas Spartae dederat auxilium invocavit Aratus; deinde cum Corinthum venisset Agis cum exercitu Spartano, et ab Arato veniam dimicandi expectaret, hic praelium distulit et regem cum magno omnium risu et admiratione domum dimisit; Aetoli autem Peloponnesum ingressi sine proelio Pellenen ceperunt. Quidquid hac de re in commentariis

---

[1]) Plut. Arat. c. 11, 15 et 43. Cfr. Droysen Hell. II. 377.

[2]) Plut. Arat. 11—14; Cic. de Off. II. 23. Sexcentis exulibus Sicyoniis qui fuerant eius civitatis locupletissimi, sua opera restitutis, auro Ptolemaei possessiones amissas redemit.

[3]) Pl. Arat. c. 11.

[4]) Cfr. Plut. Arat. c. 35, Pol. passim.

conscripsit Aratus (Pl. Agis c. 15), satis constat eum idcirco tam subito consilium mutavisse quod amicitiam Agidis viri popularis etiam minus tutam sibi esse crederet quam arma Aetolorum [1]). Eandem ob causam pacem a Cleomene oblatam et iam fere acceptam mutato consilio recusavit, et Peloponnesum Macedonibus, quos longis contentionibus paullo ante inde pulerat, non solum patefecit, sed etiam firmo foedere subiunxit (Pl. Ar. c. 45, P. IV. 9 § 4). Sic cum saepe omnia in discrimen dedisset ut Athenas ad societatem afferret (Pl. Ar. c. 33), cur eas a. 229 in foedus accipere noluerit (ibid. c. 34), nullo modo intellegi potest nisi statueris plebem Atheniensem placido obsequio parum consuetam, lupum inter oves fore ei visam esse [2]). — Societatis instituta parum nobis nota sunt; sed aliquae signa adsunt quae indicant, formam reipublicae fuisse *τιμοκρατικὴν;* novimus quo tempore Philopoemen equitatui praeficeretur, eos cives opulentiores qui equitum stipendia mererent, in creandis praetoribus aut omnia aut plurima suffragia tulisse, eorumque gratiam in Societate permagnam fuisse [3]). Etiam illa opidorum *ἰσότης*, quam Societati propriam fuisse praedicat Polybius, a Philopoemene postea demum perfecta est [4]).

Iamvero cum Arati causa esset causa medii illius civium ordinis, Cleomenes, ante eum Agis, alii fortasse ut Lydiades, pauperum, plebis causam susceperunt. Uter libertati magis favit, Aratus an Cleomenes? Haud facilius dixeris quam illud, Cicero an Cesar? Polybius quidem rem iam satis diiudicavisse sibi visus est cum

---

[1]) Cfr. Droys. p. 391.
[2]) Cfr. Id. p. 460.
[3]) Plut. Phil. c. 7, cfr. P. X. 22. 8 sqq. et Dr. p. 461.
[4]) Cfr. Hertzberg I. p. 158 sq.

Cleomenem regem *tyranni* nomine notavisset [1]. Multi autem ideo studia Cleomenis improbant, quod unius hominis dominatio iis aeque longe a salute civitatis abesse videtur quam eae vel bonorum vel agrorum distributiones, quas ab iis tantum probari posse censent qui nunc, novis rebus propter avaritiam studentes, ius bonorum possessionis aboleri, omnia bona viritim distribui vel in communem usum coacervari velint. Sed manifestum est hos res recentes et nostri aevi non recte distinguere a rebus antiquis. In civitatibus graecis cum vitam et otium, tum bona sua, reipublicae utilitati poscenti denegare non poterant cives [2]. Aes alienum a Solone deminutum est, agros Lycurgus distribuit. Etiamsi Cleomenis leges non ea ratione rogatae sunt quae legitima erat Spartanis, quod Agis facere conatus est, tamen quin lege de bonis civium ferri potuerit non est dubitandum [3]. — Deinde cum veterum memoria nondum inventa esset ea ratio qua populus liber legibus a se factis se ipse gubernare posset, necesse erat ut ea quae nobis libertatis popularis praecipua commoda videntur, iura a legibus eadem omnibus tributa, iudicia integra et aequa, libertas agendi cuique plene concessa, ab uno homine populo darentur et contra ditiores defenderentur. Populus Atheniensis nullo rege quidem iis commodis usus est, quamquam ea etiam ab uno Pericle ei data sunt, in reliquis antiquis civitatibus, praesertim ubi plures urbes finibus reipublicae comprehenderentur,

---

1) P. II. 47. 3; IX. 23. 3; IX. 29. 8; 36. 4; cfr. IV. 16. 5; IV. 22. 4.

2) Cfr. I. A. Wynne, Gesch. der Oudh. 1864. p. 200.

3) Etiam Aetoli conati sunt novis legibus paupertatem minuere, P. XIII. 1 sq.; legibus a Scopa et Dorimacho latis obnixus est Alexander.

libertas popularis adiutorem et defensorem aliquem magna potestate instructum poposcit, ne summus vel medius ordo civium opprimeret infimum.

Cum autem in foedere Achaico ii quorum voluntates alicuius momenti essent in republica gerenda Aratum mirifice colerent, ipsam multitudinem cum tempore Arati tum postea non semper cum iis consensisse aliquoties apparet. Nam multitudinis opera factum est, ut postquam Mantinea in urbe capta novas leges easdem quas Spartae dederat instituit Cleomenes (Pl. Cleom. c. 14), paullo post fere tota ei pateret subito Peloponnesus, Caphyae, Pellene, Pheneus, Argos, Phlius, Cleonae, Epidaurus, Hermione, Troizen, Corinthus, sine ulla vi, „aut fide aut metu inductae" (P. II. 52 § 1 sq.) ad eum defecerunt; Sicyonem quin caperet prohibuit Antigoni adventus; unam Megalopolin paullo ante amici Philopoemenis odio Spartae moti ei foedere adiungere noluerunt. Cur ab Arato defecerint illae urbes discimus a Plutarcho; is enim ideo plebem Argivam mox Arati amicis denuo obsecutam esse tradit (Cleom. c. 20) quod spe frustrata esset; non enim Argis ut Mantineae, statim Cleomenes leges suas et novas tabulas instituerat. — Denique novissimum bellum a. 149 cum Romanis gestum, totum fuit multitudinis et plebis, et ut fieri in talibus rebus solet, partim admirationem movet ingens magni populi ardor, partim triste spectaculum offert populus inconsulte agens et bonis ducibus carens. Quod de eo bello tam frigide locutus est Polybius, non solum amicitiae Romanorum (ea enim non prohibuit quin alibi favorem rerum Achaicarum profiteretur) sed plebis contemtui tribuendum est.

Quamcunque autem civitatis formam meliorem esse putaverit aliquis, quamcunque Polybius ipse praetulit, constat causam Arati per se nullo modo sanctiorem

fuisse quam Cleomenis vel alius, eiusque res gestas, si de talibus rebus iudicium constituere libet, ad eandem normam exigendas esse atque aliorum. Itaque apparet eum ius pacis non melius servavisse quam duces Aetolorum; media pace aliquoties Athenas, Argos, alias urbes tentavit, etiam talem ob rem parva pecunia a civibus Mantineae arbitris mulctatus est (Pl. Arat. 25); si quid bene successit gloriatus est, sin minus, in commentariis se nihil admisisse defendit. Idem commisit quod ipse regibus crimini dedit, nempe ut omnia, amicitias, foedera, ex utilitate non e fide semper aestimarent (P. II. 47 § 5). Polybius autem Arati amore et pietate a vero iudicio longe aberravit; virtutem se laudaturum esse professus, pro ea substituit causam Arati et medii generis civium; at ea historia non est quae scribatur in usum unius cuiusdam ordinis. —

In superioribus statuimus, Polybium cum scriberet iam Romanum factum et partes Romanas amplexum esse. Romani ad imperium orbis terrarum quasi fortuna sibi destinatum per multa et diuturna bella praeparati et instructi ei videntur [1]); quamquam non ita fatalis et necessarius is eventus ei visus est atque recentioribus quibusdam scriptoribus romanis et graecis, nam fieri potuisse censet ut alii, sive Poeni sive Graeci, Romanos bello superavissent, et causas quae talem eventum prohibuerunt indagavit [2]); sed tamen huic eventui, qui quomodo factus esset descripturus erat, frustra obniti et ad libertatem Graecos revocare non conatus est. Operae autem est cognoscere quam aequum de nova patria iudicium tulerit. Sed antea pauca monenda videntur de orationibus passim insertis. Fuerunt

---

[1]) Cfr. I. 6 § 6—8, alibi.

[2]) Cfr. V. 104 § 3; XV. 19. 5, inprimis XI. 19. 6.

qui statuerent Polybium cum de multis rebus quid sentiret libere exponere nollet, hac occasione usum esse ut iudicium suum proderet, ut ostenderet quid Graecis faciendum fuisse censeret [1]. At hi, cum magnae orationum copiae a Livio servatarum nullam rationem haberent, tres fere e fragmentis Polybianis electas orationes sufficere statuerunt e quibus ipsius Polybii mentem cognoscerent. Eae autem contra Romanos dictae sunt, et si constaret eas veram mentem Polybii prodere, concedendum mihi esset eum libertatem Graeciae magno desiderio prosecutum, metu tantum et adulatione ad simulatas Romani ingenii laudes perductum fuisse, itaque Reiskio et aliis concederem „stultitiae esse ab eo verum expectare", quin fere omnes eius sententias fraudis et mali doli plenas esse censerem. — Aliis omissis, de una h. l. agam. A. 211 Aetoli cum Romanis foedere facto contra Phillippum, Chlaenean legatum Lacedaemonem miserunt qui Spartanos ad Societatem suam vocaret; eius oratio legitur P. IX. c. 28—31. Contra eum Lyciscus Acarnan longa oratione (c. 32—39) societatem cum Macedonibus ineundam commendat. Polybius, ab ornatu rhetorico perquam alienus, ea reddere solet quae revera dicta sunt, quatenus ea cognovit; sed cum forma ipsius est, tum nonnulla saepe addit, quae ei etiamsi non tradita sint, tamen temporibus convenientia et oratori apta esse videantur. Hoc loco Polybius traditionem aliquam auctoris ut videtur Macedonici, vid. supr. pag. 201, adn. 5 in manibus habuit, ut apparet c. 32 § 1; sed cum ea ipsam Lycisci orationem vel omisisset vel contractam ederet, aliquot argumenta ipse addidit. Id enim primum probatur illis verbis *νέφος ἀπὸ τῆς ἑσπέρας* (c. 37 § 10), quibus iam

[1]) Brandstäter l. l p. 249 sqq.

V. 104 § 10 (a. 216) Agelaum utentem fecerat; deinde incredibile videtur virum Acarnanem adeo Aetolos increpuisse ob foedus cum Romanis, gente barbara, factum, quoniam ipsos Acarnanes primos omnium Graecorum Demetrio in Macedonia regnante Romanorum auxilium contra Aetolos invocasse notum est [1]); quam rem nusquam memoravit Polybius, et etiam hoc loco eum fugisse credo. Partem igitur orationis ipsum composuisse credo; sed suam sententiam hoc modo exponere non conatus est. Lyciscus ait Macedoniae robor necessarium esse securitati Graeciae (c. 35 § 3); — at Polybio iam eo tempore Romani sunt defensores Graeciae [2]), totidem verbis imperium Romanum Macedonico praetulit [3]); — Romanos esse barbaros (c. 37 § 6) et alienigenas (§ 7); — at alia oratione Polybius legatum Atheniensem refutantem facit oratorem Macedonicum qui iisdem vocibus contra Romanos usus erat [4]); — denique Romanos, quos contra Philippum invocasse sibi viderentur Aetoli, contra totam Graeciam revera invocatos esse et huic multarum calamitatum auctores fore (c. 37 § 10); — at qui ita de Romanis iudicaret, nonne etiam vehementer improbare debuit consilium ab Achaeis a. 198 Aristaeno praetore susceptum (P. a. L. XXXII. 20 sq.), ut Romanorum partes pro Macedonicis optarent? Polybius autem Aristaeni rationem sedulo tum defendit [5]). — Polybius si quas orationes ipse

---

[1]) Justin. XXVIII. 1 sq.; Strabo X. p. 348; cfr. Droys. p. 430.

[2]) Sic contra Illyrios II. c. 12 § 5 sq.; in alia re XV. 20 § 6.

[3]) P. XXVII. 8c § 1 sq.; P. a. L. XLII. c. 30 med.

[4]) P. a. L. XXXI. 29 et 30. Eam orationem Polybianam esse iam ostendit illud „esse quaedam belli iura" et q. s., collat. P. V. 11. 3 sqq.

[5]) P. XVIII. 13 sq.

composuit, non sine quadam arte id egit, ut varia adversariorum studia et opiniones lectori proponeret; itaque magni aestimandae sunt, etiamsi facile concedo artem Polybii inferiorem esse Thucydidis.

Quid ante 167 de Romanis censuerit Polybius dictu difficilius est, cum sententiam suam iuvenilem fere celaverit; de ea supra egi. Postea cum scriberet, eadem pietate qua antea Aratum, iam Scipiones, Aemilios, eorum amicos, amplexus erat. Percunctantibus nobis quid tum de imperio Romano, de statu reliquarum gentium, de consilio Senatus, denique de rebus romanis externis iudicaverit Polybius — nam de rebus domesticis, de contentionibus plebis et patriciorum, de potestate comitiorum eum certum quoddam iudicium tulisse non videmus; satis habuit ea exposuisse quae aut ipse observaverat aut e Fabii, Catonis aliorum libris cognoverat [1]) — hoc ubique apparebit, eum cum Scipionum parte stetisse et eadem probanda, eadem reprehendenda ei videri quae amicis eius Romanis. Quod ut probem, exilia tantum fragmenta Polybiana mihi suppeditant; sed ea quoqua materiem aliquam praebent. Consilium Senatus, vel quod potius dicam eius partis quae tum in Senatu potentior erat, non semel improbavit Polybius; aliquot locis diserte addit eam a iustitia et aequitate longe aberrasse. Sic acerbe reprehendit quod Callicrati aurem praebuerit, quare factum sit ut mox adulatoribus multis comparatis, veris amicis caru-

---

[1]) Nitzsçh (Polybius) cum Scipionem libertatis popularis denfensorem fuisse statueret, quam causam tamen paullo ante mortem non sine dedecore deseruisset, Polybium huius studii socium et fautorem fuisse censet. Tota haec ratio quatenus ad P. pertinet certis argumentis carere mihi videtur. Ceterum cfr. supra p. 178 et 185 et 198.

erit (P. XXVI. c. 3 § 3—5); Aemilio Paullo contra parum criminationes suas probavisse Callicratem laetus statuit (XXX. 10 § 11). Sic Demetrium filium Seleuci regis Syriae ipsius cum damno expertum esse ait, iustitiam frustra a Senatu romano tum peti (XXXI. c. 19 § 10 sq.), cum iam ipse eum monuisset ut ne iusta causa movere Senatum conatus operam perderet, sed ut suam rem ipse ageret (§ 5). — Paullo post eiusdem Demetrii adversarius, Heraclides, senatui se obtulit, secum agens quos liberos Antiochi esse contendebat. Is autem in multorum senatorum (τῶν πολλῶν, cum contemtu ait Polybius) favorem ita se insinuavit, ut ex senatus consulto ei auxilia decernerentur (XXXIII. c. 16). At ex his multis non omnes disci ostendit Polybius; non solum enim Tiberius Gracchus sedulo Demetrium adiuvit (XXXII. c. 4), sed etiam Heraclidem Romae degentem melior quamquam numero inferior pars senatorum (οἱ μέτριοι XXXIII. c. 16 § 10) prorsus sprevit. Laudes consilii romanorum, quod aliquantum hoc tempore in deterius verti censet Polybius (cfr. XXVI. c. 3 § 4), omnino in hac parte rariores sunt; sed tamen superfuisse ait qui huius consilii priscam praestantiam servaverint, quod ostenderunt cum Charops Epirota Romae esset; eum enim domibus suis prohibuerunt Lucius *Aem.* Paullus et Marcus *Aem.* Lepidus, quo factum est ut etiam Senatus ei quae petitum venisset et responsum scriptum denegaret [1]. — Polybius improbavit consilium senatus in rebus Rhodiorum (XXVI. 7 § 5 sq.), in rebus Massinissae et Carthagisium, quos a Senatu consulte debilitari dicit, non quod iustitia posceret (οὐ τῷ δικαίῳ), sed quod suae avaritiae

---

[1]) XXXII. c. 22 § 4—6: ἐν ᾧ καιρῷ κάλλιστον ἐγένετο δεῖγμα τῆς Ῥωμαίων αἱρέσεως, nempe ab Aemiliis.

id utile esse sciret (XXXII. 2 § 6); denique in rebus Attali fratris Eumenis regis. Cum enim post bellum Persicum Eumenes suspectus factus esset Romanis, huius rei causas quidem quae tum ferebantur memoriae mandavit Polybius; neque eas falsas esse ait; sed hoc improbavit, Romanos cum in Eumenem, virum optime de se antea meritum, graviter incumberent, eius fratri Attalo qui nulla re eos adiuvisset, nimis benignos se praebuisse (XXIX. 1^{c} § 2); improbavit consilium aliquot virorum illustrium (XXX. 1 § 7; § 10) qui ei ut fratrem dilectum proderet persuadere frustra conarentur; acerba irrisione narravit quomodo Prusiae, quo maiore contemtu dignum se praestititisset, eo benignius a Senatu responsum sit (XXX. 16 § 7) [1]), Eumenes contra in curiam non sit acceptus, quoniam contra praesentem vix in ira perseverare fore ut possent crederent patres, neque tamen eius meritis placari vellent, scilicet quod veritas et imperii utilitas non sineret (c. 17 § 3 sq.); et ridens addit Senatum hanc ob causam nihil infra dignitatem duxisse modo ei noceret (§ 13). Tamen eidem Eumeni etiam aliquot amicos Romae fuisse paullo post audimus (XXXIII. c. 16 § 3 πατρικοὶ φίλοι eius

---

[1]) Livius quidem tradit (XLV. c. 34) Prusiam „omnium qui in Macedonia imperatores fuerant favore esse adiutum"; sed his verbis quae ex annalium scriptore edidit Livius, non probatur Aemilium multam operam collocavisse in gratia Prusiae augenda; hoc fortasse ex iis recte collegeris, eum tale de rebus a Prusia per bellum gestis testimonium in Senatu dedisse, quo confirmaretur Prusiam fidelem Romanis socium se praebuisse Quamquam hoc etiam dubium; Polybio tale auxilium ab Aemilio Prusiae latum prorsus ignotum est; neque eum virum Aemiliis favore quodam dignum visum esse credibile est, de quo Polybius extremo contemtu loqui soleat (XXXVII 2), praesertim cum contuleris XXXII. 22 § 4 sqq.

filium Attalum comiter accipiunt). — Sane quidem de his rebus non tam libere loquitur atque antea de graecis; sed eo acerbior saepe facta est vituperatio. Denique iis quae oblique scripsit de bello Punico tertio, opiniones virorum Graecorum se exponere simulans, revera varias partes et consilia Romanorum composuit (XXXVII. c. 1—1c). Primum autem Catonem audimus et eos qui censuerint Carthaginem esse delendam, ut perpetua formidine liberaretur imperium Romanum (1a § 2). Iis opponitur altera opinio, talis fere: hoc dignum Romano ingenio esse propositum, quod ante a. 171 fere tenuissent, debellare eos qui ditioni Romanae resisterent, superbos ad obedientiam cogere, innocentibus parcere; ab hoc proposito iam bello Persico aberravisse Romanos, cum regnum Macedonicum prorsus evertissent; bellum hoc Punicum ei plane contrarium esse, cum eam gentem adoriri et delere studerent, quae nullam gravem culpam in eos admisisset (cfr. etiam XXXII. 2 § 6), et hac ratione populum Romanum prope ad rapacem Atheniensium et Spartanorum avaritiam delabi (c. 1b). Hanc opinionem, quam eorum fuisse qui cum Scipionibus starent, eruditionis graecae fautorum, iam supra [1]) exposui, etiam alibi tetigit Polybius; et id quidem verbis *Flaminini* XVIII. 37 § 1—4, *Scipionis maioris* XXI. 9 § 5 sq., Rhodiorum XXII. c. c. 6 § 2—6. — Deinde (XXXVII. c. 1b) fuisse ait qui hoc bellum ideo improbarent, quod insidias et fraudem quascunque nomine Romano indignas esse censerent. Hos autem refutandos ultro suscipit, neque malitiae neque fraudis argui posse Romanos defendens; sed credo, nemini has argutias probavit.

Integritatis, priscae Romanorum virtutis, et fidei

---

[1]) P. 181 sqq.

etiam levia vestigia apud Romanos sibi aequales adesse saepe statuit Polybius (cfr. XIII. c. 3 § 7); cum partem maiorem senatus „cui potior utilis quam honesti cura esset" avaritiae et libidinis arguerit (cfr. etiam XXV. 1. 4), partem Scipionis et amicos suos indicare videtur, ubicunque viros Romanos a fraude et furto alienos memorat [1]). Sed nescio an cum Polybius, tum scriptores recentes qui consilium Senatus Romani quale ante bellum Persicum fuit laudare et consiliis peioribus temporis posterioris sedulo opponere soleant, nimis huic parti tribuant. Nam etiamsi, ut viri liberalibus artibus magis eruditi, non tam crassa avaritia in republica gerenda se duci passi sunt atque alterius partis socii, tamen apud eos quoque imperandi cupido maxime valebat, neque tantum Romae urbi orbis liberi principatum dari, sed etiam ipsos Romae in urbe primas partes tueri avebant. Idcirco populi Romani favorem bellis temerarie susceptis et feliciter gestis, gentium externarum favorem specie libertatis captare studebant. Hanc libertatem stabilem non fuisse res ipsae ostenderunt, sed Polybius id nusquam diserte indicavit; idem a temeritatis crimine Scipionem frustra levare conatur. Denique, ne omnem auctoritatem in rebus gerendis amitterent, alterius partis superantis consiliis se submittere debuerunt; Aemilius regnum Macedonicum, Scipio minor Carthaginem delevit, quamquam utrumque bellum ab adversariis inceptum et horum consiliis utilissimum erat. Quae autem in parte politica nemo reprehensurus est, quippe quae temporibus serviat necesse sit; sed Polybius eorum consilio ita laudato, quasi ei solam humanitatem, virtutem colerent, ubi eos

---

[1]) Cfr. praeter l. l. supra l. l. XVIII. 35 § 4 sqq.; XXXII. 8. 3 sqq.; Liv. XLII. c. 47, alibi.

a consilio deficere vidit, eos etiam reprehenderet, aut secum pugnaret necesse erat. Pietas autem eum induxit ut etiam in his a vero iudicio aberraret, ut non secus atque antea Arati, sic nunc Scipionum amori fere inscius omnia postponeret, cum solam virtutem se colere, nequitiae se obniti crederet. Iam supra exposui hoc vitio laborare ea quae de Scipionis maioris rebus gestis scripserit; ex eadem causa ortae sunt illae argutiae quas de bello Punico III conflavit. Scipio minor id bellum gessit, cui ipse amicissimus et constans comes fuit; num id cui, quomodocunque ortum erat, Scipio omnes vires consecravit, cuius ipse pars quaedam fuit, bellum impium et turpe fuisse contendere potuit? An forte id Polybio necessarium fuisse censemus ut Scipionis amicitia recusata, potestatem libere et rigide de omnibus rebus humanis iudicandi sibi integram servaret? Nempe tale quid poscere maximae stultitiae est. Sed hoc agnoscere debuit Polybius, disciplinae aequi et boni primum locum in scribenda historia tribuendum non esse, rerum gestarum scriptori non id inprimis curandum esse quid bonum fuerit, sed quid verum sit. Historiae utilitati melius consulet is qui virtutem laudibus efferre non conatus, res ipsas cum cura et diligentia exposuerit, quam is qui quod malum sit bonum esse dixerit; qualis error cum in omnes rerum scriptores cadat, tum praesertim in eos qui res suo tempore gestas memoriae tradant. —

Iamvero ea quae reprehendi, cum magis ad iudicium de rebus latum quam ad res ipsas, tum ad breviores tantum librorum partes pertinent. Pragmatismus ille, quo etiam superiore saeculo nonnulli scriptores historiam virtutis ministram et praeceptricem facere conati sunt, non prohibuit quin egregium cognitionis fontem aperuerit Polybius, cuius Livius, Diodorus, alii partem

nobis servaverunt. Res Romanas melius scripsit quam si Romanus, res Graecas melius quam si Graecus semper fuisset. Veritatem summam deam [1]) pro parte virili coluit; etiamsi alios iuxta eam deos coluit, alia etiam proposita persequenda suscepit, nullum tamen sciens ei praetulit.

Artis criticae denique egregie peritus fuit Polybius. Id non apparet iis locis ubi longis ambagibus auctorem aliquem reprehendit. Duobus tantum locis eum clare et praecise alium auctorem in certa quadam re refutavisse arbitror [2]). In reliquis ita agere solet ut ostendat scriptorem manifesto vel sibi non constitisse vel incredibilia scripsisse, et cum solus finis ei esset non ut rem aliquam probaret, sed ut reliquorum Scriptorum auctoritate prorsus fracta, se ipse et iudicium suum lectoribus magis commendaret, multo acerbius, interdum iniquius in eos invehi solet [3]). Sed ipsas res probare, sive auctoribus sive aliis fontibus scriptis laudatis, non magis eius est consuetudinis quam aliorum veterum scriptorum; raro tantum fontem indicavit, et id quidem ad suam auctoritatem et fidem omnino firmandam [4]). Verum

---

[1]) P. XIII. c. 5 § 4. Cfr. XXXVIII. c. 1d § 2.

[2]) Zenonem XVI. c. 15—19. Timaeum XII. 10 § 3.

[3]) Cfr. III. 33 § 18, 56 § 4; X. c. 3 § 2.

[4]) Eodem consilio plerosque scripsit excursus de re critica et arte historica; nempe ut ostenderet eos auctores, sive rerum peritia, sive aequo partium iudicio, sive simplicitate et evidentia narrationis et stili carere. Multa recte animadvertit (cfr. cum alia tum II. c. 56 § 10, III. c. 47 § 6, XV. c. 36 παραδοξολογία et τερατολογία; XVI. c. 12 § 5; XXIX. c. 6a; I. 4 § 3—9 cfr. III. c. 32 § 4 sqq., V. 33). Quod modum excedit, non solum arrogantiae cuidam tribuendum esse videtur, sed etiam ingenti studio quo ut verum iudicium de rebus ipse solus tulisse credatur efficere velit.

praestantia rationis criticae quam ipse ita egregie definivit: *εὐλαβῶς προςπορεύεσθαι πρὸς πᾶν τὸ παρὰ τὴν κοινὴν ἔννοιαν λεγόμενον* (X. 27. 8) cernitur in ipsis rebus quas tradidit vel sprevit. Sano et sobrio iudicio factum est ut a fabulis et superstitionibus, consilii magnitudine et gravitate ut ab inepto ornatu rhetorico semper caverit. Cum summo antiquae historiae scriptore collatus etiamsi deficit Polybius (quamquam cognitionis haud minus utilis nobis auctor fuit), tamen sua aetate adeo primus et unicus est, artem historicam depravatam et fabulis infectam tam prope ad priscum splendorem reduxit, tanta denique doctrina instructus in ea versatus est, ut non iniuria similis locus inter rerum veterum scriptores ei assignatus esse videatur, quem in philosophia antiqua Aristoteles occupaverit [1].

---

[1]) Cfr. H. Nissen, die Oek. der Gesch. d. Pol. l. l. in fine.

EXCURSUS

DE TEMPORE QUO SCRIPSERIT POLYBIUS.

ad p. 177 sq.

Historias Polybii ante Numantiam excisam (133) ad finem perductas fuisse, apud omnes credo constat (Nitzsch Polyb. p. 138; Henzen Quaest. Pol. specimen, continens vitam Berol. 1840 p. 31 sq., quem librum inspicere non potui. Aliorum locos vid. ap. Hertzberg I. p. 302). De anno quo scribi coeptae sint non item constat. Lucas statuit libros I et II ante 167, reliquos libros multo postea scriptos esse (Ueber Polybius' darstellung des Aetolischen bundes, Königsberg 1825 p. 12 sqq.); multi viri docti omnes libros scriptos esse contendunt inter annos 141 vel 140 et 134 (K. W. Nitzsch Pol. p. 138; la Roche, Markhauser, Hertzberg l. l., etiam ut videtur Merleker Ach. p. 105); cum Schweighausero, qui statim post 183 historias inceptas esse statuit, neminem nunc facere credo. Tamen me iudice recte viderunt Schweighauserus et Niebuhr (Vorträge ed. Isler 1847 II. p. 68): 1°. primos libros ante a. 149 scriptos esse; 2°. aliquot partes quae in iis libris leguntur postea demum insertas esse. Utrumque certis argumentis demonstrari posse credo. Etenim iam per se apparet III. c. 32 opere vel toto vel magna ex parte

absoluto insertum esse. Ibi enim suam rationem defendit contra eos qui historias suas propter amplitudinem cum paratu tum lectu difficiliores esse contenderint. Id est sane viri litigiosissimi, increpare iniuriam quam nemo etiam tum ei inferre potuit. Sed etiam nego eum libro tertio scribere potuisse *βίβλους τετταράκοντα καθάπερ ἂν εἰ κατὰ μίτον ἐξυφασμένα* a se esse, nisi iam sive omnibus sive fere omnibus ad finem perductis. Accedit quod eo solo capite (et III. c. 5, de quo infra) pugnae in Isthmo factae mentionem facit, quod nullo alio fit.

Quattuor primis libris ita de statu Achaeorum loquitur, ut appareat eum minime perditum, contra laetissimum fuisse; II. c. 37 § 8 ait regnum Macedonicum prorsus interiisse sua aetate, Achaeis contra insperatam amplificationem et concordiam accrevisse; quod post 146, post Corinthum deletam, scriptum esse fere incredibile videtur. Sed id nondum urgere volo; nam etiam libro XL. de restitutione rerum Graecarum (c. 14 § 4 *ἀποκατάστασις περὶ τοὺς Ἕλληνας*) et de Achaeis servatis (c. 5 § 8 *ἡ τύχη βουλομένη — σώζειν τοὺς Ἀχαιούς*) loquitur; sed certum argumentum peto ex his locis, ubi apparet cum eos scriberet Spartam ad foedus Achaicum adiunctum fuisse:

IV. c. 32 § 9 sq. (Messenii Spartanis saepe gravibus inimicis, Arcadibus amicis parum sinceris usi multa pericula obierunt) „*εἴη μὲν οὖν οἷον εἰ συμφῦναι τὴν νῦν ὑπάρχουσαν κατάστασιν Πελοποννησίοις, ἵνα μηδενὸς δέῃ τῶν λέγεσθαι μελλόντων· ἐὰν δέ ποτε κίνησιν καὶ μετάστασιν σχῇ ταῦτα, μίαν ὁρῶ Μεσσηνίοις καὶ Μεγαλοπολίταις ἐλπίδα τοῦ δύνασθαι νέμεσθαι τὴν αὐτῶν χώραν τὸν πλείω χρόνον, ἐὰν συμφρονήσαντες κατὰ τὴν Ἐπαμεινώνδου γνώμην παντὸς καιροῦ καὶ πράγματος ἕλωνται κοινωνεῖν ἀλλήλοις ἀληθινῶς.*

Et II. c. 38 § 4: *πῶς οὖν καὶ διὰ τί νῦν εὐδοκοῦσιν* (sic e libr. mss. etiam Hultzsch) *οὗτοί τε (τὸ τῶν Ἀρκάδων ἔθνος, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ τῶν Λακωνων) καὶ τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν Πελοποννησίων, ἅμα τὴν πολιτείαν τῶν Ἀχαιῶν καὶ τὴν προςηγορίαν μετειληφότες;*

Spartani et Messenii a. 183 a Lycorta ad foedus Achaicum adiuncti sunt; Spartam anno 149 cum Achaeis bellum gessisse scimus (P. XL. c. 2 § 6; XXXVIII. c. 2 § 6), itaque uterque locus ante 149 scriptus sit necesse est. Sed etiam cum hi loci tum alii nullo modo quadrant cum rebus Peloponnesi post 146. P. II. c. 37 § 10 dicit hoc esse maximum commodum quod concordia Peloponneso attulerit, quod nunc omnes eisdem legibus, modis, ponderibus, nummis, eisdem praeterea magistratibus, senatoribus, iudicibus utuntur. Ea quidem K. W. Nitzsch (Pol. p. 87) et Markhauser (der Gesch. Schr. Pol. p. 65—67) ad tempus post 144 referenda esse contendunt, sed credo frustra. Non est huius loci diligenter inquirere in conditionem Peloponnesi post 146. De ea accurate egerunt Bekker [1]), Mommsen [2]), Hertzberg [3]), alii. Sed aliquot res h. l. afferendae sunt. Ac primum quidem Spartani suis legibus, suis magistratibus quemadmodum olim instituta erant, sed sine regibus, utebantur [4]). Reliquis civitatibus Peloponnesi aliquot annis post 146 a Romanis potestas data est veteris societatis specie quadam renovandae; et mulcta

---

[1]) Röm. Alt. III. I. p. 121 sqq.

[2]) R. G. II. p. 48 adn.

[3]) I. p. 284—296 adn. Is autem primis Polybii libris non usus est fonte e quo cognosceret conditionem Peloponnesi post 146, neque Mommsen.

[4]) Paus. II. 9 § 3: *ἐς τόδε διαμένει σφίσιν ἐκείνης (τῆς πατρίου) πολιτείας* Cfr. Hertzberg p. 306 sqq.

Spartanis solvenda eis remissa est [1]. Sed quamquam libertatis speciem adeptae sunt, neque *provinciae* nomen Achaiae tribuendum esse videtur, quandoquidem magistratus Romanos pro praetore in Peloponnesum a senatu missos esse ante Augustum non apparet [2], tamen ad eum qui in Macedonia pro praetore erat, nonnullae causae oppidorum referendae erant [3], itaque cura rerum Achaiae erat pars „provinciae" praetoris Macedoniae; sed ea cura ad Spartam non pertinuisse videtur. Certe non quadrat illud „eisdem legibus, magistratibus senatoribus, iudicibus".

Nummos argenteos post 146 ab urbibus Peloponnesi non amplius percussos esse credibile est, cum iam post 167 in Macedonia nummi argentei nisi impresso nomine praetoris vel quaestoris Romani nulli percussi sint, et id tantum in aliquot urbibus; denarius Romanus sensim in Graeciam et Asiam invectus est, cui drachme attica par erat [4]; sed fieri non potest ut de tempore loquatur Polybius quo denarius Romanus iam tritus et omnibus usitatus fuit; etiam haec verba „eisdem nummis" spectare mihi videntur ad tempus ante 146, ad monetam Societatis Achaicae.

Neminem fugere potest, concordiam Peloponnesi e mente Polybii institutam esse a. 183 a Lycorta et amicis eius, inter quos ipse Polybius. At quomodo fieri potuit ut a. 140 de huius concordiae commodis copiose loqueretur nulla mentione facta rerum anni 147 et 146, qui omnia ea turbaverunt, quibus Sparta a

---

[1] Paus. VII. 16 § 7.

[2] Plut. Cim. c. 2.

[3] Mommsen l. l. Hertzb. p. 294.

[4] De his vid. Mommsen Gesch. des Röm. Münzwesens p. 71 sqq., p. 692 sqq.

Societate divulsa est, leges mutatae sunt [1]), tributum urbibus impositum est, societas in aliquot annos soluta est, nummi externi invecti sunt, causae nonnullae ad praetorem Romanum dici coeptae sunt; qui fieri potuit ut a. 140 haec fere scriberet: precor ut res Peloponnesi quales nunc sunt sensim coalescant; sed si rursus turbationes fiunt, si Sparta Messeniis denuo aliquando negotia exhibitura est, his consilium do ut Epaminondae rationem sequantur foedere cum Arcadibus icto. Contra post 144 nullum consilium eis dari potuit, nisi ut ad praetorem Macedoniae se verterent (vid. locum post insertum III. c. 4 § 3). Credibile est Polybium eos locos non mutavisse cum post a. 144 opus absolutum retractaret, cum eae turbationes quas praeviderat revera ortae essent (III. c. 4 § 12); non item eos tunc scriptos esse.

Deinde, quod iam supra attigi, animadvertendum est quomodo in fine operis de Peloponnesi calamitate iudicet Polybius, inprimis in prooemio libri XXXVIII. (c. 1). Ibi etiam dicit (§ 2[a] sqq.) cladem Carthaginis haud maiorem, contra una re minorem fuisse quam Peloponnesi; Carthago enim prorsus deleta est, Graecis ignominia ipsis ferenda, filiis filiorum tradenda est. Ita de hac re scribere non potuit, si aliquot annis *antea* conditionem Graecorum post Corinthum deletam tam laetam esse censuit [2]), qualis libr. II. depicta est. Sed nihil obstat quominus credamus libr. *XXXVIII* scrip-

---

[1]) Paus. VII. c. 16 § 6 (Μόμμιος) δημοκρατίας μὲν κατέπαυε, καθίστατο δὲ ἀπὸ τιμημάτων τὰς ἀρχάς. C. I. Gr. 1543: τῇ ἀπο δοθείσῃ τοῖς Ἀχαιοῖς ὑπὸ Ρωμαίων πολιτείᾳ (vid. Bekker III. I. 122 adn. 788).

[2]) II. 37. 7 παράδοξος αὔξησις καὶ συμφρόνησις; c. 38 § 9: τὴν ὑπάρχουσαν (Πελοποννησίοις) εὐδαιμονίαν. Idem fere IV. 1 § 5—8.

tum esse paullo post cladem (a. 143 vel post), postea cum ea retractaret quae ante 149 scripserat, eum nihil mutavisse, aliquot tantum capita addidisse.

Accedunt denique aliquot loci e libris I—IV, qui ante 149 scripti esse videntur.

VI. 14 § 6: *κρίνει μὲν οὖν ὁ δῆμος (ἐν Ῥώμῃ) καὶ διαφόρου πολλάκις, ὅταν ἀξιόχρεων ᾖ τὸ τίμημα τῆς ἀδικίας, καὶ μάλιστα τοὺς τὰς ἐπιφανεῖς ἐσχηκότας ἀρχάς.* — Illud *διαφόρου κρίνειν τινὰ* est de reo criminis repetundarum iudicare; Africani maioris causa Polybio obversatur. — Lege Calpurnia autem a. 149 quaestio repetundarum instituta est, cuius iudices erant Senatores (App. B. C. I. 22) [1]. Itaque vel ante vel non multo post 149 id scriptum est, inter annos 150—148, cum in Graecia degeret, ubi ignarus fuisse potest huius legis.

IV. 74 § 8. Elis olim erat illo sancto iure, quod *ἀσυλίαν* dicunt, quo neglecto multa negotia et pericula in bellis sustinere debebat. Eleis consilium dat Polybius ut illud ius recuperare studeant; „nullum ante, ait tam aptum fuit tempus ad *ἀσυλίαν* omnium consensu parandam, quam praesens tempus". Nempe cum Aetoli profligati essent, cum Sparta cum Societate Achaica faceret, id consilium tempestivum fuisse videtur. Polybius hoc loco sicuti IV. c. 32 § 9 concordia Peloponnesi gaudet quidem, sed veretur ne a Spartanis vel Messeniis nova negotia exhibeantur, ideoque hac occasione Eleos uti vult. Contra post 144 tale consilium Eleis datum, non secus quam consilium IV. 32. 9 Messeniis datum, potius ludibrii quam prudentiae spe-

---

[1]) De illo loco aliter Nitzsch Pol. p. 139. Idem p. 97 ait Polybium VI. 17 ad munus censorum Italiam tantum referre. Sed Pol. ait: διὰ πάσης Ἰταλίας — συλλήβδην ὅσα πέπτωκεν ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων δυναστείαν.

ciem prae se fert. A quonam petere debebant? A Romanis? An a civitatibus Peloponnesi quarum vires fractae erant, quibus cum voluntas tum potestas laedendi ademtae erant. Illud ius ἀσυλίας tum fuisset vanus et inanis titulus, aptus fortasse illis Graeculis qui tali specie gaudebant, sed serio studio Scriptoris, eiusque Polybii, indignus.

II. 35 § 7—10. Incursionibus et bellis Gallorum ante 222 narratis quaedam addit Polybius ad Graecos commonendos. Ea autem prorsus vana fuisse videntur si scripta essent postquam Macedonia provincia Romana facta esset. Ante 146 enim, cum Macedones et Aetoli fracti essent, propugnaculum quoddam Graeciae contra barbaros ceciderat (cfr. IX. c. 35 § 3 πρόφραγμα), et utile erat Graecos monere ut si forte opus esset pro patria et domo ad extremum pugnarent (II. 35 § 8), veterum fortitudinis exemplorum memores (§ 7 et 10); sed post 144 Romanorum officium et cura erat, provinciam suam, et Achaiam, a barbaris defendere.

Has ob causas concludo libr. I et II (τὴν προκατασκευήν) ante 151 Romae, libros III et IV (III. 58 § 7 enim post 151 scripta est) et fortasse plures, ante 148 in itinere vel Graecia conscriptos esse, reliquos post 144, ante 134, in Graecia.

Iamvero apparet, cum librum tertium scriberet, eum iam aetate provectiorem fuisse. C. 5 § 7 enim ait se nescire annon fortuna ei copiam datura sit operis ad finem perducendi, seque sperare fore ut si mors eum corripiat, alius opus suum absolvendum suscipiat. Ea fortasse sexagenarius scripsit; eam autem aetatem circa 151 iam consecutus est.

Denique libro III quo argumentum librorum exposuerat, aliquid addere necesse erat. Itaque tria capita postea eum addidisse certe demonstrari potest, scil. III.

c. 4 et 5 § 1—6, et c. 32. Constans argumentum, quod saepe repetit, hoc habuit: se descripturum esse res quinquaginta trium annorum quibus imperium Romanum extra Italiam constitutum sit [1]). Id argumentum exposuit primis libri primi capitibus, et saepius ad eum locum respicit his verbis: ἡ ἐξ ἀρχῆς πρόθεσις (II. c. 71 § 2, VIII. 3 § 1, etiam in loco post inserto III. c. 4 § 1); huius argumenti initium dicit esse a. 220, *finem* a. 167 [2]). Absurdum erat hoc dicere si sciret se quadraginta libros scripturum esse, et in iis se etiam tractaturum esse annos insequentes viginti duo. Postea demum hos addere instituit (III. c. 4 § 13: προήχθην οἷον ἀρχὴν ποιησάμενος ἄλλην γράφειν), et ut materiei recensum cap. 2 sq. libri III. expleret, addidit c. 4 et 5 § 1—6. Animadvertendum est eum hunc recensum solum hoc loco explevisse, non ceteris (I. c. 1—4, VI. c. 1ª § 3), deinde in fine operis libri XL. c. 14 § 5 cum repeteret illa verba ex τῇ ἐξ ἀρχῆς προθέσει, eum ut par erat nullam mentionem facere illius spatii 53 annorum. Cum autem e priore argumento hanc utilitatem petendam esse saepe dixisset, ut scirent Graeci quo animo, qua virtute, quo genere et forma reipublicae Romani tam longe processissent, hoc consilium post 144 aliquantum mutatum erat. Tum enim libertas Graeciae evanuerat, et tum operis sui utilitatem hanc fore dixit, ut Graeci cognoscerent aequo animo Romanis obediendum sibi esse (III. c. 4). Cum antea Graecis multa consilia dedisset quae dum liberi erant tantum utilia eis esse poterant, nunc nulla re opus esse vidit

---

[1]) I. 1 § 5, cfr. c 4 § 1; VI. 1ª § 3; III. 1 § 8 sq.

[2]) III. 1 § 8 sq. ostendit τὴν καθόλου τῆς ὑποθέσεως ἔμφασιν καὶ τὴν περιγραφήν; et finem (καταστροφὴν καὶ συντέλειαν) interitum regni Macedoniae.

nisi continentia et obsequio (III. c. 4 § 3). Haec omnia affirmant quae modo attuli argumenta. III. c. 32 cur eo loco insertum sit clarum est. Foedera Romanorum vetera cum Poenis magnum locum occupaverant; id cum opus retractaret aliquatenus excusare voluit. Hoc caput et III. 5 § 1—6 tangunt excidium Carthaginis et pugnam ad Isthmum.

ARGUMENTUM.

Typis J. VAN BOEKHOVEN, Utrecht.